

1601.

Pingitgerus, Virgilius: De consuetudine.

1603.

1. Arnauus, Dominicus: De matris, deposito et seques-
tratione

2. Pingitger, Virgilius: De iure accrescendi.

3. Pingitgerus, Virgilius: Thesium: De iuramentis
in genere, et de promissorio in specie, ac civili
et canonico iure, conceptarum Centuria..

1604.

Arnauus, Dominicus: Commentatus est l. 2. Cod.

de rescind. Vend., de qua responderunt: Johannes

Sibek, Christian Schwarz, Johannes Lauterman,

Christophorus Weyse.

1606.

1. Hortlederus, Hieronimus: De vero sensu l. non
omnium 20 d. de ll. eiq. genuinis exemplis.

1606.

2. Pingitgerus, Virgilius: De appellatibilibus
3. Schwaben, Joannes: In controverso jure civili, feudali, sacro et provinciali, miscellaneorum questionum Decades III.

1607.

Juvenius, Johannes: De jurisdictione.

1608.

Theodoricus, Petrus: De pactis successivis.

1609.

1. Anelpfort, Wertherus Wolfgangus: De origine, auctoritate, compilationibus et definitione feudorum.
2. Juvenius, Joannes: De feudi amissione.

1610

1. Truncius, Dominicus: De verborum obligationibus
2. Juvenius, Johannes: De substitucionibus.

1611.

1. Armaeus, Dominicus: De jure dotium.
2. Armaeus, Dominicus: Questionum controversarum in jure civili, canonico, et feudali de promptuariis, Decades III.
3. Armaeus, Dominicus: De feudali successione . . .
4. Formanus, Ortolplus: Decas miscellanearum in jure controversarum questionum.
5. Gerhardus, Aureus: De substitutionibus.
6. Milpfort, Wulfgangus Wertherus: De solutionibus.
7. Milpfort, Wulfgangus Wertherus: De remissione feudi.

1

2

3

10

10

10

2

1



2996
1603.3
4

THESIUM
DE JURAMENTIS
in genere; & de
PROMISSORIO

in specie, ex Civili & Canonico jure,
conceptarum.

CENTURIA:

Quam

JEHOVA OPT. MAX.

AVSPICE,

Magnifico, Illustris JENENSIS Academiae, JURIS-
CONSULTORUM Ordine

DECERNENTE,

Et Consultis. atq; Amplis. Viro

DN. VIRGILIO PINGITZERO

D. ICTO, PROFESSORE clarissimo, & Dicasterii DD. SAX.

Provincialis, atq; Scabinatus ibid. ADSESSORE

dignis. Patrono suo studiosè colendo,

PRÆSIDE,

Pro summi DOCTRINÆ INVTROq; JURE
GRADVS adsequendi Licentia,

Publicè disertando proponit adserendam

M. HENNINGUS RENNEMANUS

PAPÆBURGUS SAXOBRUNSVIGIUS

In Auditorio Jurisconsultorum:

VII. Kal. Junias, hora VI. matutina:

ANNO CHRISTIANÆ SAL. CID ID CIII.

JENÆ Typis Christophori Lippoldi.

10

EXIMIÆ VIRTUTIS,

& politioris Literaturæ splendore
spectatissimo Viro

DN. JOACHIMO Opperman DN.
Ebelingi, p. m. F. SENATORI
prudentissimo:

Et
PRÆCLARÆ VIRTUTIS, AC CIR-
cumspectæ Prudentiæ laude admodum
conspicuo viro

DN. JOANNI Lüdfen CLmi.
ICTI Dn. D. Berth. F.

Civib. Patriciis Reipubl.
HILDESHEIMÆ

DOMINIS FAUTORIBUS & AMICIS
suis omni officiorum genere colendis

Debitæ Gratiitudinis indicium:
Animi officiosi obsequium: &
Amicitia veteris monumentum

Hanc suam Thesium Centuriam ex
Academia SALANA

Transmittit

RESPONDENS AVCT.



THESES I.



IUS JURANDUM EST TESTI-
monium, per sollemnem religiosæ rei conte-
stationem, ab intelligente, ex justa causa, inle-
gitimo negotio, dubiæ suæ fidei dictum. Quod
dicitur eodem sensu: *juramentum a.*

*a) cujus cum in Justiniani Const. tum in jure Ca-
non. sepius occurrit usus. Quod licet à jurejurando
sic, ut Dn. Vult. disc. Schol. 7. conjectat, differre queat: ut illud rebus
proprie litigiosis: hoc vero alijs extrajudicialibus competat: siquidem
illius in ff. tantum: & pleriq; C. Constitutionibus: hujus vero duntaxat
in Justiniani pen. Const. C. h. r. & in jure Can. semper mentio fiat: vix
tamen est, ut hoc admitti discrimen queat: cum quod rubrica titt. non
tantum in ff. & C. sed etiam jure Can. constanter de jurejurando sint
conceptæ: & illud, quod de calumnia abjuranda sine dubio judiciale est,
non tantum in jure Can. semper: sed etiam in C. de jurejur. propt. calum-
dando frequenter juramenti veniat nomine: tum etiam quod non tantum
Justin. in l. pen. C. de reb. cred. sed etiam Ulpian. l. jusjurandum. 34.
S. si de qualitate. 5. de jurejur. mentionem juramenti disertam fa-
ciat.*

II. Definitur Testimonium, quod hic est generaliter, argumen-
tum ex auctoritate ductum *a*, quod ad rei dubiæ probationem
sub adseverationis alicujus adhibetur fide: quæ non sua v: sed
extranea sublevatur *b*: ut non à nuda adsertione: sed adsertis
aliunde desumpta veracitate dependeat:

*a) quod ex Aristotele 1. Rhetor. c. 2. Quintil. lib. 5. Inst. orat. c. 1.
ἀρεχρον, inartificiale, vocat: cum hoc extra dicendirationem accipiat
Orator: quod non in eo ipso, de quo agitur, hæret, sed adsumitur foris, vel
extrinsecus: Cic. in top. b) Cic. 2. de Orat. Et in partit. Unde Olden-
dorpio in top. legal. externum vocatur.*

III. Et quidem ejusmodi: quod sit *a* quopiam suæ propriæ fidei,
quæ forte sit in dubium vocata confirmandæ gratia dictum. Quod
cum regulariter nostris, ne quis in sua re propria sibi testis sit ido-
neus *a*, prohibitum reperitur legibus: cautissime hic proceden-
dum:



dum: ut non quodvis hic admittatur quocumque modo prolatum: sed quod sit ex reliquorum testimoniorum communione per certas, quibus id informatum proferri debet, proprietates, & has quidem definitioni includas, exemtum.

a) l. nullus: 10 de testib. l. omnibus. 10. C. eod.

IV. Testimonium igitur hoc, quod dicimus esse iusjurandum, primum debet non temere: sed ex causa fuisse iusta dictum. De qua cum in finali: tum impulsiva dispiciendum. Finalis causa requirit: ut iusjurandum daturus, id eo, dirigat: quo, dato iuramento, talem rei dubie, quæ sit alicujus momenti, fidem faciat: quæ facta, vel litem quampiam sibi, vel alius motam, expediat a: vel aliter siue suis siue aliorum rebus b periculose laborantibus, necessarium remedium adhibere queat: ut per lites bene sopitas, & per sui cuiusque juris defensionem, atque ita per mutua caritatis officia cum Reip. tranquillitas servetur: tum gloria Dei propagetur.

a) quem finem non tantum Gajus l. 1. h. t. sed etiam Epist. ad Hebr. c. 6. v. 16. inculcat: quorum ille iusjurandum, litem expediendarum remedium, & quidem maximum: hæc vero omnis controversiæ terminum ad confirmationem adhiberum appellat: c. etsi Christus. v. quod a. Jacob. h. t. b) l. eum qui 30. in pr. h. t. l. etiam. 5. C. eod. Quod patet etiam ex lege divina Exod. 22. 7. 8. 10. 11. Hinc scite Isocr. ad Demon. duabus de causis iuramentum permittit: ut quis vel seipsum turpi suspitione liberet: vel amicos ex magnis periculis eripiat.

V. Impulsiva, quæ ad iusjurandum inducere quempiam debet, vel est remota: vel propinqua. Remota non est spontanea voluntas: sed importuna, confirmationis fidei dubie, ex aliarum probationum sedulo quaesitarum inopia tandem resultans Necessitas: a quæ si nusquam sit b: iuramento locus esse nequit. Ex quo colligitur, primam iusjurandi originem ex jure gentium repetendam: quod usu & necessitatibus humanis sic exigentibus homines, ne in defectu evidentis probationis causam suam plane desertam prostituere cogentur, ad extremum illud Religionis subsidium profugere, & ad illius testimonium provocare docuit.

a) c. etsi Christus. 26. v. Jacob. cum necessitas exigit: ne quis propter defectum testium sui juris sustineat læsionem. d. c. v. pen. & ult. ne justitia, veritate occulta, succumbat. c. ex literis. 32. h. t. c. ita ergo. 22. q. 1. nisi necessitas cogat: si necessaria est juratio: ut alteri persvadeas, quod utile. c. seq. magna necessitate compulsus. c. si peccatum.

datum ib. b) ut vel res ipsa dubia non sit, sed aperta: vel si maxime dubi-
teretur de illa: suppetant tamen aliunde ad illius confirmationem argu-
menta sat idonea: Covarruv. ad. c. quamvis. de pact. part. 1. §. 6.
num. 8. l. tutor. 35. h.

VI. Propinqua, est juris auctoritas: quod huic testimonio per u-
sum a primitus sic introducto, probationis evidentis energiam
viresque contulit. Quas licet ex jure Prætorio b primum habere
cœpisset, non leves quidem; sed, quod in religiosa re cum primis
decurt, parcius expensas: postmodum tamen Principum, maxi-
me posteriorum, constitutionibus, c plurimum progressu tem-
poris amplificatas, adeptum fuit: donec tandem illæ Canonico
jure d pœne supra modum expansæ, in vastum & immensum, per
interpretes, opinionum brocardicarum pelagus excreverint.

a) d. l. 1. h. t. b) l. ait prætor. 3. & 7. & per tot. h. t. c) cum aliorum
tum imprimis Alexandri in l. C. si adv. vend. maxime vero Friderici,
per auth. Sacramenta pub. eod. d) c. si vero. 7. c. cum contingat. 28. de
jurej. c. licet mulieres. eod. in 6. c. quamvis. de pact. in 6. Everb. loc. leg.
de vi juram. n. 1.

VII. Quod quantumcumque varium sit: in hoc tamen ubique
sibi constat: quod nullum, nisi vel ex jussu Magistratus: vel ex con-
ventionione partium, sit alicui rite delatum, comprobet jusjuran-
dum a.

a) perl. 1. h. t. & l. generaliter. 12. C. eod. Quorum illud juri civili:
hoc vero juri gentium est maxime accommodatum. Atque ideo Prætor
juramentum, nemine deferente, datum, non tuetur. l. 3. h. t. Nec alio de
ferente quis in judicio jurare cogitur: nisi prius ille de calumnia juraverit.
l. jusjurandum. 34. §. qui jusjurandum. h. t.

IX. Id quod tunc est ab intelligente præstandum: qui tali prædi-
tus sit judicio: ut & vim juramenti: & rei, super qua datur illud,
naturam probabiliter habeat antea pro optimo fine præceptam.
Quo fit: ut mente captus, furiosus, & infans a, propter judicii defe-
ctum ab actus hujus celebritate removeri: immo quandoq; non
nisi pubes admitti b debeat.

a) §. furiosus. cum seq. Inst. de inutil. stip. l. furiosi. 40. l. ubi 124. §. fin.
l. in negocijs. 5. de reg. jur. Infante major jurare potest efficaciter: si dese-
rens eo pars sit conteta: l. qui jurasse. 26. h. t. nō tamen invitus l. jusjur. 34.
eod. c. parvuli. 22. q. 5. cum duob. seq. l. fin. §. ult. de lib. caus. Borch. de jurej.
c. 4. n. 5. 6. 7. & de in lit. jur. c. 3. n. 10. 11. b) l. videamus. 4. de in lit. jur. l. 1.

Et auth. Sacramenta. C. si advers. vend. ubi Donel lib. com. 21 c. 13. *Et* ut
vulgo Canonistae, quando juramentum dirigitur ad confirmandum contra-
dictum jure civili invalidum: Covar. d. relect. c. quamvis. part. 3. §. 1. n.
4. 5. Sed queritur: ecquid per procuratorem jurare sit licitum? regulari-
ter negatur per l. generaliter. §. his de presentibus. C. de jurejur. nov. 124.
de litigator. l. ad personas. 15. h. t. Nisi in juramento voluntario, vel ju-
diciali, juramentum deferens in personam procuratoris jurare volentis
consentiat, per l. nam poste aqvam. 9. §. jusjurandum 6. h. t. Borch. ad tit.
ff. de jurej. c. 4. n. 10. cum seq. Quod extenditur jure Can. ad procuratorem
nomine principalis de calumnia jurantem c. ult. de jur. cal. in 6. item ad
juramentum fidelitatis consentiente domino per procuratorem prestan-
dum. c. 1. §. verum. de statu regul. in 6. c. optatum. dist. 100. sed utrobique ex
speciali mandato: *Et* in animam principalis c. presentium. in pr. de testib
in 6. late Covar. ad c. quamvis. de pact. part. 1. §. 5. n. 18. usq. ad fin. Quod ec-
quid juri civili consonum, *Et* gravitati juramenti, rei religiose, fovende
conducatur: non immerito dubitatur

IX. Quo fit etiam quia juraturus praeditus esse circa rem juran-
dam judicio debet: ut errore, a vel dolo b circumventi, jurantes
egisse nihil omnino censeantur: adeo ut ne quidem ratum sit, quod
est ex calore iracundiae nimis inconsulto *et* profusum: siquidem in
totum, d quae animi destinatione sunt agenda, non nisi vera *et* cer-
ta scientia perfici possunt.

a) non n. videntur consentire qui errant: multo minus igitur cum judi-
cio possunt jurare. l. nihil. 116. §. fin. de R. I. l. si per errorem. de jurid. l. 2. de
judic. b) qui n. dolo circumscribitur, in eo, in quo decipitur, cum non consen-
tiat in suum detrimentum, p errante non immerito habetur. l. qui cu. §. qui
per fallaciam. de trans. Atq. ideo tam nullum est hoc jusjur: atq. si esset ex
errore datum. c. cum contingat. de jurejur. c. licet. eod. in 6. c. quamvis. de
pact. in 6. Donel. lib. 21. c. 13. circa fin. Quib. in consideratione positus circum-
stantiis, non videtur Euripidis illud a Cic. 3. offic. productum iniquitatis ul-
lius arguendum: lingua juravi: mentem injuratam gero. Obijcitur hic qui-
dem ducum. Iosue c. 9. juramentum Gibbonitis dolo quopiam deferentibus
datum: quod tamen existimarunt duces dolo comperto servandum. Verum
quid obstat: quin dicamus in arbitrio jurantium fuisse, si jure suo voluissent
uti, irritum facere hoc totum: quod ex parte tamen, rescissum: quippe quo-
ad vitam redimendam, ademptis bonis *et* libertate, duntaxat observatum
idq. ex humanitatis *et* scandali vitandi respectu: ne juramento per omnia
fractio, *Et* in miseros homines, qui potestati hostium multo ante se suppli-
ces de-

ees dederant, sciendo, in perjurij & crudelitatis suspitione apud profanos inciderent. Maxime cum dolus hic fuerit innocuus, nullo pene cum jurantium detrimento junctus pro sola vite redemptione a supplicibus & deditis in summo periculo obtentus: quã alias etiã sine juramento dare potuissent: cum mandatũ Dei de omnib. his gentib. internecioni dandis Deut. 7. 2. 3. 4. 5. datum: in his, que se cum suis omnib. bello indicto supplices mature dederint, sit limitandũ. Deut. 20. 10. cum 7. seqq. Phil. in Eth. p. 288. c) Quicquid n. ita fit, vel dicitur: non prius ratũ est: quam si perseverantia adparuerit, animi iudicium fuisse. Quamvis ejusmodi temeritas sit vehementer culpanda. Phil. in Eth. p. 287. Beust. ad l. 1. de jurej. n. 19. c. sicut eod. ubi Pan. & Fel. de jurej. Si quis igitur incautius juravit, quod observatum pejjorem vergat in exitum: consilio hoc salubriore mutandũ c. si quid. 22. q. 4. c. quod David. cum seq. c. si aliquid. ib. d) l. in totum. 76. de R. I. Unde scitẽ Plautus in Pseud. a. 1. f. 3. non modo conceptis verbis: sed etiam consultis jurandum precipit. Hinc c. unusquisq. 22. q. 4. ex juramento Herodis Matth. 14. 9. quod ebrius inter vina & saltantium chorus eviratus dederat, perjurium non oriri rectẽ putat.

X. Ex qua causarum cum finis, cum efficientis inspectione, prima jurisjurandi in prudens, & temerarium distinctio a connotanda: ut illud sit, quod ex præconcepto iudicio, sui, vel alterius juris defendendi gratia, quispiam ex officio, vel licita conventionione, in defectu probationis alterius, dubiã rei, requisitus dedit: hoc vero contra, quod cum non erat opus, aliquis, sine iudicio, temere, ex levitate futili vel pravo more frequenter & incaute profudit.

a) que colligitur ex c. etsi. 26. v. quedam v. de jurejur. ubi Juramentum per se malum non esse dicitur: sed tantum, si fiat frequenter & multum: quod ex frequenti & incauta juratione perjurium existat. Syracid. c. 23. 9. cum 3. seq.

XI. Item secunda: in publicum & privatum a Quorum illud, quod a Magistratu jurisdictioni suã subjectis etiam invitis, certis ex causis imponitur b: hoc quod ex conventionione libera inter paciscentes, ab alterutra, vel utraq; parte, præstandum Constituitur.

a) Que ex d. l. 1. h. t. exprimitur: & in Theologorũ frequens est dispurationib. b) Quod Græcos ἐπὶ τὸν ὄγκον vocare Phil. in Ethic. adserit. p. 277.

XII. Proinde si causa juranti necessaria & iudicium hæctenus jurijurando non sit ineptum: ut sit qui jusjurandum præmeditato dare queat; & in casu necessitatis, pro suo, vel alterius commodo, debeat: qua forma illud præstandum veniat, & hoc definitio posita sic de-

sic declarat: ut testimonium sit ejusmodi: quod sit per *sollemnem religiosæ rei contestationem a dictum*. Dictum ut sit, quando requiritur: ut illud *verbis*, mentem jurantis declarantibus *b* exprimatur, ad formam juramenti pertinet: quod sine his ex jurejurando alii *quæsitum sit c* jus omnino nullum.

a) *quam ex Cic. lib. 3. off. depromtam maxima pars Interpretum nunc immerito sequuntur. b) ut verba quidem interveniunt perspicua: sed verborum juramenti in commune certa formula, à cujus literis, vel syllabis recedere non liceat, nullibi sit præscripta: adeo ut ne quidem verbum juro de jurandi sit substantia. Covar. d. c. quamvis. rel. 1. in pr. n. 13. c) conceptum enim mentis ad jurandum destinatus, nisi verbis proferatur, jusjurandum non facit: sed nudum dumtaxat animi de juramento præstando propositum: quod sic in mente retentum, respectu illius cujus interest jurari, in humano nihil operatur judicio: ut vulgo Dd. ex l. si repetendi. C. de cond. ca. dat. ca. non sec. l. quicquid adstringende. l. stipulatio ista. §. alteri. de v. obl. adserunt: adeo ut ne mutato quidem aliter, nisi verbis, vel ab ipso scriptis, vel ab alio ipsius nomine prolatis, jurare liceat: quamvis Dd. maxima reclamant turba: apud Covar. d. c. quamvis. part. 1. in princ. n. 5. 6. 7.*

XIII. *Res religiosa* hic est res ejusmodi: quæ vel *Numen divinum, vel preciosæ æstimationis plurimum in se continere visa*, juranti est summo cum timore, tum amore: ne lædat eam, perdatve, tam sanctissime colenda: quam impensissime observanda. Unde jusjurandum, etiam est *Religio a nuncupata*.

a) *l. multo magis. l. sed etsi servus. de jurejur. l. 4. §. deferre. de in lit. jur. l. si quis jusjurandum. C. de jurejur. l. fin. C. de fideicom.*

XIV. *Quæ licet pro cujusque gentis & sectæ, immo etiam privati hominis capru varia sit, & à pluribus culta, inter se diversissima: utpote rebus aliis major, aliis minor inesse, vere falsove credita: inter Creatorem a tamen maxima, & creaturas minore religione prosequendas distinctio passim servata fuit. Ex qua jusjurandum pro divisione tertia in verum & proprium: vel quasi & improprium b distinguitur.*

a) *d. c. etsi Christus. h. t. b) Vult. disc. Schol. c. 7. Quorum Petr. Martyr. illud directum: hoc obliquum vocat: alio tamen sensu: qui nobis non probatur. ad 1. Sam. c. 25. v. 26.*

XV. *Verum jusjurandum fuit Ethnicis: quod erat in Dei cujuspiam, unius, vel plurium, vel omnium contestatione positum.*

Nobis

Nobis Christianis jusjurandum dicitur ex formali causa *proprium*
& *verum*: quod est in Iohannis Dei & in S. scriptura patefacti, ut rerum
omnium Creatoris, & Conservatoris, cum omnipotentis, omni-
præsentis, & omniscii: tum veracissimi & justissimi contestatio-
nem directum. Quod hoc sensu propter sacrosanctum Dei no-
men interpositum, dicitur etiam *Sacramentum b*.

a) Deuteron. c. 6. v. 13. & c. 10. v. 20. Hierem. 4. v. 2. ad Hebr. 6. v. 16. c.
et si Christus. v. quod autem. l. 3. §. fin. hic. b) in posteribus Impp. Consti-
tutionib. l. actori. 8. l. si quis. 11. cum seqq. C. h. t. l. 1. 2. C. de jur. pr. cal.
dan. auth. C. si advers. vend.

XVI. Quasi jusjurandum est, quod ad creaturam quæpiam, ex
certa quædam causa juranti religiosam, refertur. Cujus multæ
quidem apud auctores tam sacros, quam profanos species occur-
runt: sed quæ videntur omnes ad duo pæne genera & digestæ.

a) Quæ distinctione Theologi huc utuntur: Pezel. part. 3. resp. Phil.
p. 130. 131. ex Calv. in Gen. ad c. 42. v. 15. Ad quæ, licet obscurius, ex auctori-
tate Thomæ collimare etiam voluit Covar. de pact. p. 1. §. 1. n. 16. circa med.

XVII. Ut prioris sint: quando ad creaturam, quasi numine quo-
piam imbutam, pro dubia fide, testato confirmanda provocatio
instituitur. Cujus generis mos olim apud Christianos inolevit
jurandi: per Mariam virginem Deiparam, Gabrielem, Michaelem, &
& alios sanctos a: & apud Ethnicos Romanos: per calum, sidera,
tanquam numina: Genium vel venerationem Principis: & alios
quoslibet in Divorum Divarumq; numerum relatos.

a) nov. 8. tit. 3. jusjurand. quod prest. ab his.

b) l. si duo. 13. §. fin. l. 2. C. de reb. cred.

XVIII. Posterioris vero, quando creatura quæpiam juranti caris-
sima & preciosissima, sine tamen Numinis intuitu, habita, pro
data fidei securitate, tamquam pignus a deponitur. Cujusmodi
sunt cum à sanctis frequenter in sacra scriptura dictata: quando
jurat aliquis: per salutem, animam, vel vitam, Principis, Prophetæ b:
per animam, fidem, conscientiam suam c: tum apud profanos usita-
tissima: quando quosdam per salutem Principis: per suam vel libero-
rum salutem, vitam: per oculos, caput d sceptrum, mythram, thronum e
suum jurasse passim vidimus. Quo spectat etiam inter Germanos,
maxime genere, vel virtute nobiles, per obtestationem indubiæ
veritatis, & fidei sinceræ, sive Christianæ sive politicæ, vulgo re-
cepta jurandi formula f.

a) cum

a) cū creature, quam admodū diligimus, salus Deo obligatur: ut si aliter res habeat, in illa Deus perjurium nostrum ulciscatur. Covar. d. §. 1. n. 16.

b) Gen. 42. v. 15. 1. Sam. 1. v. 26. & 17. v. 55. & 25. v. 26. 2. Sam. 11. v. 11. & 14. v. 20. 2. Reg. 2. v. 2. 4. & 4. v. 30.

c) Jos. 14. v. 9. 2. Cor. 1. v. 23. Rom. 9. v. 1. 1. Cor. 15. v. 31.

d) l. si duo patroni. §. fin. l. non erit ratum. §. l. qui per salutem. 33. l. ait Prator. 3. §. fin. cum l. seq. h. t. l. si quis. 41. C. de trans.

e) Val. Max. lib. 9. c. 14. Cic. 2. ep. ad fam. 13. & 5. ad Att. 15. Plaut. in Menech. sc. ult. P. Gr. Thol. lib. 50. c. 8.

f) bey Fürstlichen/Gräfflichen/Adelichen ehren/waren Worten/Treuen und Glauben: bey dem Wort der Wahrheit: bey waren guten herrlichen Christlichen Glauben: an Aides Stadt/etc.

XIX. Quod omne de rei religiose diversa conditione (qua vel est propter divinitatem sibi inhærentem: vel precii eximiam estimationem suspicienda) ex adfectione & intentione a jurantis est æstimandum: ut in juramento præstando res sit illa religiosa: quæ fidei & credulitati juraturi religionem est injectura: ut ut conditionem jurandi deferens nullam forsitan inesse religionem statuat. Unde fit: ut Christianus Judæo, vel profanæ religionis homini cuivis, si cum ipso res sit juramento decidenda, per suum, quem ille serio, ex suæ religionis instituto, Deum agnoscit, unum, vel plures, jurisjurandi conditionem deferre, salva conscientia queat, & sic agere necesse habeat.

a) cui propria superstitione jurato standum D. Pius rescripsit. l. 5. §. Divus 1. h. t.

b) c. mover. 22. q. 1. Quod exemplo D. Jacobi probatur. Gen. 31. v. 53. Dan. lib. 2. Eth. c. 9. Covar. d. part. 1. §. 1. n. 23. 24. Unde factum ut Judæi contra Christianos juraturis, peculiaris formula secundum Mosaicam legem sit in ord. Cam. imp. p. 1. c. 86. præscripta. Beust. ad Rubr. h. t. n. 217.

XX. Quæ tamen nude sic prolata jusjurandum nondum facit: sed ita demum, si juraturus eam solemniter contestatus sit. Contestatio est ipsa jurantis, ad rem religiosam, pro testificationis ipsius modo designando, provocatio directa. Modus hic ut est diversus: ita diversum quoque verborum, pro rei religiose diversitate sensum postulat: ut intersit hic plurimum: utrum res ad quam provocatur, ob divinum Numen aliquod: an vero propter estimationem preciosam juranti religiosa adpareat.

XXI. Priore enim modo contestatio est imploratio divini Numinis, quod jurans obnixè rogat: ut ad ieverationi suæ, de negotio præ-

cio presenti pro sincera mentis conscientia certissima, testis car-
diognostes, & iudex zelotes a in hunc finem adesse velit: Ut, si rem
ad certam certissime veram, & ratam fore credat: si eamdem
vel omnino, vel ex parte falsam suspicatus, quasi veram jurando
confirmet: Numen hoc provocatum posthac illo casu sibi Patro-
num & conservatorem spondeat: isto vero hostem infensissi-
mum & immanem in omni vita tortorem sibi accersat b.

a) unde Cic. 2. de leg. Diis immortalibus interpositis tum iudicibus:
tum testibus. Vesenb. in par. ff. hic. n. 3.

b) Quam formulam gravibus verbis expressit in foedere Rom. cum Car-
thaginensibus in Polyb. lib. 3: Si recte atque sine dolo malo hoc foedus atque
hoc iusjurandum facio: Deus mihi cuncta felicia praestet: Sin aliter aut
ago, aut cogito: ceteris omnibus salvis, in propriis legibus patriis, in pro-
priis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris solus ego peream: ut
hic lapis est manibus meis decidet &c.

XXII. Quod utrumque sic est hoc iuramento, sub intuitu divini
Numinis concepto, comprehensum: ut si alterutrum duntaxat:
si neutrum sit verbis expressum: nihilominus tamen utrumque
semper ipso iure sic praesumatur tacite subintellectum: ut, Numen
divinum, quia rei dubiae testem visibiliter praesentem velle non debe-
mus: hoc animo implorasse videamur: ut in casu, vel veritatis nos
suo favore clementer complectendo: vel falsitatis nos odio hostiliter perse-
quendo, suam testificationis demum sic interponere iudicium credatur.

XXIII. Ex quo cum pateat: huiusmodi iusjurandum esse divinae in-
vocationis exemplum: quo divino Numini, sancte ad iurando, cum ho-
nore adorationis, omni praesentiae, omniscientiae, veritatis infallibi-
lis, & summae cum potentiae, tum iustitiae axiomata, & haec quidem omnia
soli vero Deo propria necessario sunt attribuenda: consequens hinc
est: illud hoc sine conceptu, Christianis in solum verum Deum, essentia
unum, & personis trinum, utpote solum tam iudicem veritatis certissimum,
qua vindicem falsitatis maxime iustum: nequaquam vero in ulam creaturam,
esse dirigendum: ne per huiusmodi iuramentum ad creaturam honorificentiae
creatoris transferatur. Exod. 23. 13. Deut. 6. v. 10. Jos. 23. 7. Mat. 4. 10. Lu. 4.
8. Apoc. 19. 10. & 22. 9. Heb. 6. 13. 16. c. etsi. Christ. 26. v. licet. h. t. Unde Cle-
ricum per creaturas jurantem acerrime objurgandum ceteris clericis. 22. cum seq. q. 1.

XXIV. Ut haec ob causam, quasi iuramenta prioris generis omnia, licet
in Angelos, & vel sanctissimos quosque Divos, Divasque, si seorsim,
si cum Dei mentione copulative concepta, utpote religionis im-
pba-
ta non tantum somenta: sed etiam prorsus inania, non immerito dudum sint

& esse debeant ex reformatæ Religionis Dicasterijs a exterminata: & pro nullis b habenda. Quibus accensentur & illa: quæ per capillos, vel caput Dei, & his proxima verba sunt informata: quippe quæ juri & Pontificio & civili tam fuerunt olim exosa: ut illi blasphemix sint, depositione vel anathemate plectenda c: huic vero ultimo supplicio digna sint eadem visa.

a) Immo etiam ex ipso Camerae Spirensis judicio: in quo cum antea formula jurandi fuisset per Deum & omnes sanctos concepta: postea Anno LV. ad postulationem Protestantium mentio sanctorum fuit interpolata: referente Beust in rubr. de jurej. n. 216.

b) ut ex his existat obligatio nulla: utpote substantiali sua forma destituta. per l. non erit. §. 3. h. t. Vesenb. par. ff. n. 6. in fin. contra quam volunt Cann. Covar. p. 1. de jur. §. 1. n. 16. 19. 20. per c. etsi Christus. v. & quamvis.

c) c. si quis. de jurej. 22: q. 1. ubi Covarr. p. 1. de jur. §. 1. n. 17. d. nov. 77. §. & quoniam.

XXV. Posteriore vero contestatio est rei nobis carissimæ & preciosissimæ, pro securitate certitudinis adseverationis factæ, quasi pignoris hoc fine contracti depositio: ut illa res contestata sit in casu vel veritatis, nobis incolumis & salva: vel falsitatis, læsa penitus & deperdita. Quo spectant quasi juramenta posterioris generis reliqua: & ea quidem quatenus extra superstitosum divini Numinis, rebus falso inhaerentis, cultum spectantur, & nullam in honestis vitæ civilis moribus turpitudinem redolent, ne utquam repudianda a: quod ita crebra illorum, in sacris literis etiam à sanctissimis hominibus prodita, succurrant exempla.

a) Adeo ut ne quidem Josephi illud per vitam Pharonis: nec Romanorum per salutem principis juramentum existimemus (contra quam putat Calv. in Gen. qui Josephi illud, à vera pietate abhorrens predicat: cum quo facit Vesenb. in par. ff. h. t. n. 6.) eliminandum: licet de Genio, & veneratione Principis, quod apud Ethnicos tritum fuit, merito sit aliud statuendum: utpote superstitione Numinis divini, quod per Genium significabant, adpersum. Unde Tertullianus in apolog. c. 32. ab his formulis, cum tamen per salutem principis jurare non erubescerent, abstinuisse Christianos auctor est. Vult. d. c. 7. disc.

XXVI. Ecquid autem juramenta hæc impropria, in primis illa quæ olim apud Rom. per salutem Principis: & hodie apud Germanos, maxime nobiles, sub Fidei pignore, vel loco juramenti, in literarum obligationibus frequenter dari solent, veris juramentis

sint æquiparanda; in quæstionem vocari solet. Quod licet communiter adfirmant plurimi a: nobis tamen cum his hac in parte convenire nequît.

a) Coler. proc. exf. p. 1. c. 10. n. 246. Mins. c. 1. obs. 17. Beust. ad l. admonendi. h. t. n. 14. Ves. cons. 10. & 14. Gail. 2. obs. 59.

XXVII. Sanè, quo minus & hæc quasi juramenta sancte sint servanda, nemo sanus ambigit: si sint ita specialiter delata a. Ut autem tam nervosum hujusmodi sit juramentorum, quod ad alios effectus attinet, quam illorum, quæ sunt Dei opt. Max. nomine stabilita, vinculum: utq; juri jurando data, contra tenorem juris communis privilegia, sint ad hæc impropria juramenta, nisi hoc expresse, sit cautum, b extendenda: id vero est quod certis ll. rationibus probari vix posse videatur.

a) Non n. quando juras, tibi aut lapidi juras, sed proximo. Non audit lapis loquentem: sed punit Deus te fallentem. c. ecce. 22. q. 5. c. et si Christus v. & quantvis. h. t.

b) ut sit in l. si quis. 41. C. de transact. in fin. cum alias plane non videatur jurasse l. qui per. 33. h. t.

c) Mod. Pist. cons. 19. Speck. cent. 1. q. 4. Quanto enim per quod juratur magis est sanctum: tanto magis est pœnale perjurium. c. movet. 22. q. 1. facit c. clericus. pen. h. t. ubi non sufficit promissio loco juramenti adjecta postmodum. Vesenb. par. ff. hic n. 14.

XXIIX. Sollemnitatis ad contestationem requisita, cum in verborum, quibus contestatio profertur, formulis rite conceptis: tum in externis quibusdam caerimonijs est spectenda. Formulam verborum juraturus adhibere debet perspicuam, & ad legitimum sensum sincere conceptam: quam vel Magistratus in publicis ipsi præscripsit: vel de qua inter partes in privatis convenit: aut partib. de ea dubitantibus judex concepit. a Quæ si sensum pro diversis contestationum modis ante positum, distinctim exprimat: qualiacunque demum verba sint: legitima omnis illa censebitur b: modo nihil sit immixtum religionis improbatæ c: quod vel in Ecclesia supersticiosæ impietati: vel in civili vita turpitudini sit obnoxium.

a) l. jusjurandum. 34 §. 5. & §. 8. h. t.

b) l. 3. §. fin. h. & l. non erit. 5. in princ. h.

c) d. l. non erit. §. 3.

XXIX. Qua in re licet consuetudo locorum attendi soleat: ut
B 3 illis

Illis utamur jurandi formulis: quæ pro vulgi more, & stylo Curia videntur sine impietatis & turpitudinis nota receptæ a: nobis tamen Christianis in re maximi momenti fuerint illæ, quas sacra nobis ostendit pagina, sive in bene precandi, sive male imprecandi modum, sive generaliter in utrumq; conceptæ b, præ aliis omnibus expetendæ. Quarum cum supra quædam sint in quasi juramentis producta: his aliæ apud auctores et in communi usu, quæ à pietate & honesto non discrepant, adjungendæ.

a) quarum plurimæ passim sunt ex profanis auctoribus collectæ: ut videre licet apud P. Tholos. d. l. 50. c. 4. n. 21. cum seqq.

XXX. In vero jurejurando simplicissimæ omnium sunt illæ: partim in veteri codice sæpius usurpatæ: vivit Jehova &c. partim cum ab aliis, tum à D. Apostolo in novo proditæ: Deus novit; Deum testor: testis sit mihi Deus a. Paulo vero plenior illa, à sanctis Patriarchis, sæpius adhibita: sic faciat mihi Deus, & sic pergat b.

a) Rom 1.9. 2 Cor. 1. pen. & 11. 31. Gal. 1. 20. Phil. 1. 8. 1. Thes. 2. 5. 10.

b) Ruth. 1. 17. 1. Sam. 3. 17. & 14. 45. & 20. 13. & 25. 22. 2. Sam. 3. 9. 35. & 19. 14. 1. Reg. 2. 23. & 19. 2. 2. Reg. 6. 31.

XXI. Cum qua planè consentit, quæ nostris est moribus passim, in juramentis præcipua cum sollemnitate dandis, tam privatis, quam publicis, ita breviter concepta: sic me Deus adjuvet. Cujus sensus in bene precando expressus est: ut vera dicentes Deus clementer servet. Per quem, à contrario sensu subintelligitur in male precando tacitus: ut falsa proferentes atrocibus pœnis adficiat, & prorsus perdat.

XXXII. Qui modus posterior imprecativus, ad terrorem hominibus incutiendum, magis accommodus, ad exemplum S. Regis Davidis a, in formula à Justiniano b præscripta paullo pluribus, & his quidem gravissimis verbis sic est expressus: si vero hac non omnia ita servavero: recipiam hic & in futuro seculo in terribili judicio magni Domini Dei & salvatoris nostri Jesu Christi: & habeam partem cum Juda & lepra Giezi, & tremore Cain.

a) Psal. 7. v. 4. 5. 6. b) de nov. 8 tit. 3. in fin. In quo tamen, ut blasphemum, rejicimus illum vulgo nimis tritum: quo se jurans Diabulo dedit, in casu falsitatis excarnificandum. Hunc enim qui omnis mendacii pater est, & hostis humani generis, testem veritatis, & falsitatis vindicem, cum invocationis & omniscientie honore provocasse, quam fuerit indignum Christiano homine?

XXXIII. Quid vero de hac, quæ adhuc hodie in multis judiciorum,

rum, etiam Camerae & aulae Imperialis, juramenti formulis imploratori divinae plerumque jungi solet, appendice (& sanctum ipsius Evangelium, vel verbum) statuendum? Quamvis sint, qui hanc etiam superstitionis arguant a: attamen sobrio & eo quidem non incongruo si spectetur hoc vel simili sensu: sic me Deus adjuvet, & sanctum ipsius Evangelium, vel verbum: h. e. Deus in verbo vel Evangelio suo nobis patefactus: vel per efficaciam spiritus sancti, & beneficia salutis in Evangelio oblata in nobis efficax: nihil videtur b, quo minus absque conscientiae laesione quis huiusmodi formulae sibi praescriptae se obstringere queat, incommodi subesse.

a) Vesenb. in par. ff. h. t. n. 6. circ. fin. b) Pezel. in obj. Phil. part. 3: pag. 131. quamvis sensu paululum diverso.

XXIV. Verum ut hoc procedat haecenus: quoad mentioni Nominis Dei praemissae, mox subiungitur illa clausula, ad ipsum Deum certis symbolis animo nostro imprimendum directa. Cum alias suppresso Dei nomine, juramenta, per Evangelium Sacramenta, s. crucem a, & res similes seorsim data, neutiquam sint adprobanda: quod hisce rebus, ut ut sanctissimis: attamen ad alios usus, extra quos operari non debent, mystice institutis, honor ille deferri non debeat b, soli institutarum ejusmodi rerum auctori deferendus.

a) quorum aliqua in jure etiam Can. vestigia exstant c. si aliqua. 11. 22. q. 1. c. qui pejerat. 16. q. 5. b) Vesenb. hic. n. 6.

XXXV. Cerimonie ad jurisjurandi sollemnem actum, majoris attentionis & reverentiae in animo jurantis excitandae gratia a, frequenter, sed fere in proprio tantum juramento adhiberi solita, pro diversitate temporum & locorum, semper fuerunt, & adhuc sunt variae. Jurantem manum femori deferentis adposuisse b: vel elata manu jurasse c in sacris legimus. Tactum sceptri, aere, vel sacrorum ad altaria: item lapidis silicis e manu projectionem, vel ad caput pedis allisionem Ethnicis in usu fuisse, horum Auctores d testatum faciunt, Quibus abolitis apud Christianos hic ritus successit: ut jurans libros Evangeliorum manibus teneret: vel eos tangeret e: ut manum crucifixi Christi imagini, sive etiam soli crucis signo, altari, reliquiis sanctorum, vel manui Episcopi imponeret.

a) Covar. p. 1. §. 1. n. 2. b) Gen. 24. 2. 9. c) Gen. 14. 22. Dan. 12. 7. Deut. 32. 40. 2. Mach. 14. 32. d) Liv. dec. 3. lib. 1. Erasm. chil. 2. cent. 6. ad. 33. Cov. d. lo. n. 6. cum seq. Sic Polyb. l. 3. tactum cerei accensi. Just. l. 22. educti mucronis, mactatae hostiae viscerum Homer. Iliad. 16. v. 257. commemorat. Itholos. lib. 50. c. 4.

e) d. nov.

e) d. nov. 9. c. 3. l. rem non novam. 14. §. patroni. C. de jud. l. de crea-
tionib. 27. C. de episc. aud. l. 1. C. de jurej propt. cal. dan.

f) nov. de sanct. episc. §. 1. & §. nulli. nov. ut hi qui. 72. §. ut a. 3. c. ha-
bemus 22. q. 1. c. tibi domino. distinct. 63. c. qui pejerat. 22. q. 5. c. ea
re. 22. h. t.

XXXVI. Et sane præsentia rei sacræ in jurando non omnino fuit
Ethnicis supervacua: quibus de præsentia Dei tam firmiter con-
cepta fides non erat: quin illam per rei sacræ præsentiam magis
firmam statuerent. Nos autem cum ejusmodi ratio ritus tales
adhibendi non teneat: qui Deum credimus in medio nostrum,
in ipsius nomine congregatorum, præsentissimum a: tactus ille
sacrarum rerum parum juvat: cum adhibito Dei nomine, ad san-
ctificandum jurandi actum sanctius adhibere, sine ipsius igno-
minia, nihil possimus, neq; debeamus: quippe scripturæ b divine pro-
pter Deum sanctæ sunt: non Deus propter scripturas.

a) Matth. 18. v. 20. b) c. si aliqua. 11. 22. q. 1.

XIII. Quamvis igitur ritus hujusmodi, sacræ rei contingendæ
pro more antiquo forsitan receptus, tolerari queat, modo sine su-
perstitione sit a adhibitus: attamen quod fere sit ex opinione ne-
cessitatis, & singularis, quæ faciat ad firmandum juramenti vin-
culum, alioqui sine adhibitione illius ritus, invalidum, sanctita-
tis, adinventus, & ad superstitionem proclivis, non immerito
plurimis è locis b est explosus.

a) quæ in sanctorum reliquiis adparet tangendis, invocationem eorum
subolens: d. c. habemus.

b) utpote qui ad substantiam juramenti non pertinet regulariter,
ipsis Cann. testantib. Cov p. 1. §. 1. n. 1. 12.

XII. Sanior interim est ille his in regionibus, & passim alibi
retentus a: quo mares sublata manu dextera, & duobus illius digitis,
indice cum medio erectis: feminæ vero dextera sinistra mammilla im-
posita b, jusjurandum præstant: utpote qui nihil superstitionis
olet: & cum sacræ scripturæ exemplis ex parte congruit.

a) Vesenb ib. par. ff. h. n. 6. b) Thol. d. l. 50. c. 5. in fin.

XI. Quod juramentum, hujusmodi cum sollemnitate ritus
quædam datum est, illud: quod Græci σωματικὸν ὄρκιον; Latini
corporaliter a præstitum dicunt. Cujus in publicis & majjoris mo-
menti negocijs frequentissimus est usus: & immo quandoq; cum
lege, more, vel pacto peculiariter requiritur, ita necessarius: ut
aliud

aliud quodvis illius loco absq; sollemnitatibus requisitis, five ve-
re, five putative datum, minime sit *b* attendendum.

a) *l. si alterius. 3. in fin. C. si min. se maj. l. 1. C. si advers. vendit. Germ.*
em Leiblichen/gelahrten Eyd. Don. com. lib. 21. c. 12. in fin.

b) *Spek. d. q. 4. c. 1. l. 3. l. non erit. 5. l. jusjurandum. 34. §. qui jusju-*
randum. de jurejur. Covar. p. 1. §. 1. n. 12. 13.

XL. Unde quarta jurisjurandi divisio oritur: in *simplex*, & *cor-*
poraliter prestitum a: ut hoc sit juramentum verum certis cum ver-
borum *b* tum caerimoniarum sollemnibus jurandum: illud vero
quodvis sine rituum celebritate verbis qualitercumq; conceptis
simpliciter elatum.

a) *Tholos. lib. 50. Synt. jur. c. 8. b)*

XLI. Unde item *qvinta* in illud quod *probata*: & aliud quod *im-*
probata religionis *a* est derivatur: ut utrumq; nobis sit, quod reli-
gionem rei cuiusdam tribuit, illud pietatis & honestatis praecipis
consentientem: istud vero, impietatis vel turpitudinis nota infa-
mem. Quod pro eo habendum, atq; si juratum non esset.

a) *l. non erit. 5. §. 3. b. t.*

XLII. Caeterum hoc jusjurandum *ex legitima causa* alicui dela-
tum si rite sic ex suis sit proprietatibus instructum: tandem ani-
madvertendum e definitione & hoc est: quandoquidem nullum
in semetipso, & propter se consistit: sed semper alicui *Negocio*
tanquam *principali*, *accessorium* incumbit, & ad illius dubiam fi-
dem firmandam extrinsecus accedit: quomodo istud definiri di-
gnosciq; possit. De quo primum generalis haec est cautela *a*: quod
juramentum omne *negocii* illius, ad cuius fidem probandam ad-
hibetur, naturam principalem, & a primordio ipsius substantiae
inhærentem adsumat, & secundum proprietates atq; circumstan-
tias illius, in dubio, sic explicari debeat: ut nec vires suas ultra li-
mites, illi negocio a jure praefinitos exferat: nec ab illius quarum-
cumq; conditionum observantia jurantem liberum dimittat.

a) *ut communiter tradunt Dd. per l. ult. C. de non. num. pec. arg. l. Titi-*
us. in fin. ad Trebell. Beust. ad l. jusjurandum. 17. n. 10. cum seqq. Unde de-
cidit Gregorius: quod promissum sub conditione factum, quamvis jura-
mento & fidei obligatione interposita sit firmatum, non tamen servandum
fit: si constet stipulantem conditioni minime paruisse. c. pervenit.
de jurejur. Qvippe juramentum eum non ligat qui praestitit: dum ille cui
praestitum fuerit servare negligit quod promissit. c. sicut, si consti-
terit.

C

terit.

terit. 29. v. fin. Quo sensu forte non iniquus fuerit hic à plerisque exagitatus
verficulus: Frangenti fidem fides frangetur eidem. Exemplum est in c.
ad naturam. h. t. c. quemadmodum. in pr. ibi: quoniam in eo talis subau-
dienda erat conditio: si videlicet illa in l. conjugii non peccaret. c. peti-
tio. 31. c. intellecto. 33. h. t. Covar. p. 1. §. 3. n. 29. & §. 4. n. 1. 2. 3. 4.
XLIII. Hac præmissa definitio posita statuit: hoc negocium de-
bere esse Legitimum h. e. legum auctoritate, in causis veris, honestis,
atq; licitis a stabilitum.

a) c. etsi Christus. v. quemadmodum. pen. de jurej.

XLIV. Verum hic, id dicitur negocium: quod jurans ex animi
sui sincera conscientia a, non aliter habere se, vel posse, vel debe-
re, atq; jurando verbis adserit, pro certo, argumentis evidentibus
commotus, credit. Quod fit: cum sensus verborum jurantis sin-
cerus, cum ejus mentis sententia præmeditato concepta, in har-
moniam b per omnia sibi constantem, sic coalescit: ut non aliud
verbis jurando efferatur in apertum: aliud vero mente scienter
contineatur abstrusum. Secus si fiat: non jusjurandum datur. Sed
perjurium committitur a.

a) Deus n. non ex operibus judicat: sed ex cogitationibus & corde. c.
qui pejerare. ibid. b) Dominus n. inter juramentum & loquelam no-
stram nullam vult esse distantiam. d. c. juramenti. 16. ut adfirmatio &
negatio nostra sicut procedit ex ore: ita procedat ex corde. c) qui n. aliter
facturus est, quam promittit, perjurus est: c. in dolo. 22. q. 2. Quippe
qui jurat, ad hoc jurat, ut quod verum est eloquatur. c. juramenti. 22. q. 5.

XLV. Adeo ut, licet hic quandoq; contingat: rem juraram ali-
ter, atq; adsertum fuit, se habere ex sua seorsim post natura rectius
inspectam: juramentum tamen hoc, modo jurans rem juratam,
sine ulla suspitione falsi, crediderit certissime veram, nihilominus ex
intentione jurantis, ad hoc, ne sic juratus perjurii labe macule-
tur, pro vero sit habendum a: & contra, si maxime res ipsa sit ve-
rissima: dummodo jurans ut falsam dolose juraverit istam: per-
jurii crimen hic nihilominus b incurrat.

a) Ream n. linguam non facit, nisi mens rea: atq; ideo interest, quem-
admodum verbum procedat ex animo: ut pulcre D. Aug. c. homines. 22.
q. 2. b) Non n. falsum jurare, pejerare est: sed quod ex animi tui senten-
tia juraveris, id non facere perjurium est. Cic. 3. off. Nec liber est à men-
dacio, qui ore nesciens verum loquitur: sciens autem voluntate mentitur:
cum sola dicentis intentio spectetur. c. is autem, cum seq. 22. q. 2. atque
ideo qui

ideo qui sciens non fallit, nequaquam pejjerare dicitur. l. qui jurasse.
26. h. t.

XLVI. Sed ita: si in eam, quam jurando adseruit, sententiam sit
argumentis evidentibus, sic inductus: ut pro nervis ratiocinationis
suae, ad naturam rei, & omnes circumstantias, quantum fieri po-
tuit, tum temporis intensis, aliam investigare, & ita in falsi suspi-
cionem vel minimam venire nullam a potuerit.

a) cum alias, si non sat accurate illis, quae falsi scrupulum movere po-
tuissent paullo attentius omnia scrutanti, per imprudentiam, pensiculatis
ad juramentum profiluerit: utut perjuri forte infamiam non incurrat:
temeritatis tamen in rebus tanti momenti valde vituperandae culpam pœ-
namq; non effugiat.

XLVII. Qua in caussa, si de sensu verborum juramenti lis oria-
tur: ut aliter verba deferenti videantur explananda: quam mens
jurantis illa voluerit accepta: tunc in dubio sunt illa ex hujus a,
qui jusjurandum detulit sensu, si ex verborum, secundum legiti-
mos interpretandi modos, perspicuitate, & rei, circa jurandum
gestae, circumstantiis evidentibus b ille juranti probabiliter inno-
tescere potuerit, contra jurantem, sophisticis elusionibus rimam,
ex observantia juramenti forsan elabendi, quærentem, inter-
pretanda.

a) Deus enim hoc ita accipit: sicut ille, cui juratur, intelligit. c. qua-
tung. 22. q. 5. cum ita sit jurandum: ut mens deferentis conciperet fieri
oportere. Cic. 3. off. Covar. d. c. quamvis. p. 1. §. 5. n. 2. 3. siquidem suis-
set in potestate jurantis, magis perspicue dixisse: ut interpretatio adver-
sus eum statuatur non immerito. l. inveterib. de pact. l. quicquid abstringen-
da. de V. Obl. b) humane n. aures verba nostra talia judicant: quæ alia
foris sonant. c. humane. 22. q. 5. & quomodo, more nostro, concipiun-
tur. 3. off. Cic. à quibus non receditur: donec de alia voluntate constet. l.
non aliter. de leg. 3. c. intelligentia. de V. sign.

III. Idem Honestum sic erit: si ex jure cum Divino, pietati; tum
naturali, bonis moribus non sit adversum: ut, si quid secus habeat,
quod vel impium: vel dictu, factuve sit turpe, juramento firmari
minime queat. Stipulationes enim turpes, ut nullius esse momenti ge-
neraliter novimus a: utq; pacta, quæ contra bonos mores sunt, nullam
vim habere indubitati juris b est: adeo, ut, quæ facta lædunt pietatem,
existimationem, verecundiam nostram, & generaliter contra bonos mo-
res sunt, ea nec facere nos posse sit credendum c: Sic etiam non est
obligato-

obligatorium ex eadem ratione contra bonos mores prestitum juramentum d.

a) l. generaliter. 26. cum. seq. de V. obl. §. quod turpi. Inst. de inutil. stip. b) l. pacta. 6. cum fin. v. secundum. C. de pact. c) l. filius. 15. de condit. instit. d) c. non est. 58. de R. I. in 6. c. quanto. h. t. juramentum n. illicitum & rationi contrarium, nullatenus observandum. c. quinta vallis. 23. cum seq. h. t. c. ubi. c. cum contingit. de elect. c. 2. de reb. Eccl. non alien. c. cum quidam. h. t. c. contingit. h. in 6.

II. Deniq; licitum ut sit hoc negotium, in eo versatur: partim ut sit per naturam possibile: quod sic habere se, & eo, quo adleritur, modo expediri possit: cum alias impossibile sit obligatio nulla a: adeo ut, que dari impossibilia sunt, pro non adjectis habeantur b: cum neq; pacto, neq; stipulatione possint comprehendi, ut utilem actionem aut factum efficiant c: utpote que rerum natura prohibita sint, indeq; lege nulla confirmata d.

a) l. impossibile. 145. de R. I. c. nemo. de Reg. jur. in 6. b) l. ea que. 135. de R. I. c. contingit. de jurej. in 6. c) l. verum. 31. eod. d) l. ubi. 188. eod.

L. Partim etiam, ut sit probatum, vel saltem non improbatum civili jure. Quod n. secus se habet de quo jure civili, ne sit, vel fiat, cautum diserte: sane in eadem cum prioribus est causa: ut ne quidem jurejurando resuscitari, aut fulciri queat.

LI. Jus enim civile Magistratus est mandatum legitimum, subditis ex auctoritate & utilitate publica, per juris naturalis & civilis temperamentum, pro religionis & virtutis studio in societate civili tuendo injunctum: cui ut ordinationi divinæ a, intra suæ jurisdictionis terminos, per leges bonas aliquid præcipienti, nisi, contra Deum pugnare velit, resistere nemo debet: ut evidenter inde pateat: quod jus publicum privatorum hujusmodi pactis & cautionibus contra Dei & Magistratus voluntatem non sit immutandum b:

a) Rom. 13. v. 1. 2. cum seqq. b) l. jus. 38. de pact. l. quod bonis. §. 1. ad l. Falcid.

LII. Maxime cum sit insuper legibus & principum Constitutionibus gravissime decisum: quod hæc omnia, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint ullo cum pacto, conventionem, vel contractu facta, non solum inutilia sint, sed pro infectis etiam habenda: neq; hæc solum: sed etiam omnia illa, quæcunq; fuerint ex eo, vel ob id, quod interdicerent

terdicente lege factum est, subsequuta: in tantum ut in his, non modo stipulatio nulla tenere, nec mandatum ullius momenti esse: led nec sacramentum a admitti debeat.

a) l. non dubium. 5. §. 1. & fm. C. de leg. l. jurigentium. 7. §. & generaliter. de pact. l. si quis inquilinos. 112. §. pen. & ult. de legat. 1. Sic juramentum Clerici contra canonicas sanctiones non est ulla ratione servandum c. ad nostram. 21. h. t. Cur igitur non idem in Laici contra sui Magistratus leges dato obtinebit juramento?

LIII. Nimirum quia hoc semper est accessorium: quod ad suum principale se refert adseverandum. Quod cum hoc casu, in negotio jure prohibito, sit pro infecto habendum, quia contra jus est factum a: sacramento nec locus, nec usus super negotio prorsus nullo fuerit: cum, quando principalis causa ab initio non consistit, nec ea quae sequuntur locum habeant b: cum accessorium sui principalis naturam sequi debeat c: quo sublato corruet etiam ipsum a fundamento revulsam: cum denique cum quid prohibetur, prohibeantur omnia, quae ex illo d sequuntur.

a) per d. l. non dubium. 5. etiam ipso jure Canonico testante: quod, quae contra jus fiunt, debeant utiq; pro infectis haberi. c. quae contra. 64. de R. I. in 6. Quod igitur in contractu iniquum erit, id juramentum refugit: qui si per se non consistit ullo modo: nec juramentum: quia non est iniquitatis vinculum. P. Thol. l. 50. c. 4. n. 2. b) l. nihil. 129. §. 1. l. cum principalis. 178. de R. I. c) c. accessorium. 42. de reg. 1. in 6. d) c. cum quid. 39. de reg. j. in 6.

LIV. Deinde quia id, quod contra juris prohibitionem committitur, non potest non esse iniquum: utpote juri, quod est ars bonae & aequae, adeoq; rectissima aequitatis norma, è diametro contrarium. Quale cum non debeat esse juramentum: utpote non ob hoc, ut sit vinculum iniquitatis institutum a: & sacrosanctum Dei nomen ad illicitum & sibi invisum testimonium neutiquam sit adducendum: nec ad negotium abstrahetur illud confirmandum: quod jus civile propter iniquitatem suam censuit injustum: & propterea voluit è consortio civili rejectum.

a) c. inter cetera. 22. q. 4. c. quanto. h. t. c. contingit. de jurejurand. in 6.

LV. Quod eo minus videtur, vel hanc ob causam concedendum: quod secundum seniores interpretes juramentorum sensus, licet pro tenore verborum valde generalis, ita sit, ut semper

legum & superioris auctoritas excepta maneat, restringendus a: ne quid eo contineatur, quod vel legibus sit interdictum: vel in superioris vergat præjudicium b.

a) textus expressus, in c. venientes hoc tit. Exemplum in c. veniens: aliud exemplum habetur. cap. ad nostram. hoc tit. ceteroquin id est illicitum, si restrictionem patinequeat. c. ea te. 22. cum seq. h. t. c. contingit. eod. in 6. c. constitutus. de rescript. b) quia non juramenta, sed perjuria videntur contra utilitatem Ecclesiasticam (ergo etiam politicam) attentata. c. sicut nostris. 27 h. t. Hinc veterum formulis jurandi insertæ reperiuntur illæ clausule: Salva urbe, & arce: cæteris omnibus salvis &c. §. Imperialem. in fin. de prob. feud. alien. Phil. in Et bic. p. 284. 286. Covar. p. 1. §. 3. n. 3. 5. & 36.

LVI. Proinde cum & hoc expediti juris sit: quod, si cuiquam una via prohibitum sit aliquid, ad id alia non debeat admitti a: sane per juramenti viam quis ad actum quempiam jure civili prohibitum, sine manifesta legis illius fraude, & totius juris civilis immo ordinationis divinæ contumelia, admitti nequaquam potuerit: nec jusjurandum per sanctissimum Dei nomen usui humano, necessitate exigente, concessum, ad æquissimas, & ex optimo Magistratus consilio, pro Reip. statu conservando salutares leges in perniciem publicæ salutis eludendas b est contorquendum.

a) vel ipso jure Canonico rectissime statuente. c. cum quid. 84. de R. I. in 6. Donel. lib. com. 21. c. 13. b) quis n. usus erit in Rep. legum ex bono consilio negocium aliquod prohibentium: si cuivis privato per jurijurandi prætextum ejusmodi prohibitionibus contraire sit permissum? Et si frays legi sit: cum salvis verbis ipsius sententia circumvenitur: cumq; sit, quo lex fieri noluit: sed fieri non vetuit: l. contra. 29. cum seq. de ll. quanta frays, si sit, quod expressis verbis lex prohibuit, hæc erit?

LVII. Quapropter ut nullum negocium jure civili diserte prohibitum, & sic, si maxime fiat, pro infecto, de jure etiam Canonico, habendum, juramento addito, ut reconvalescat, confirmari: sed illud ipsum etiam si præstitum sit, pro non præstito censerit debet: nisi alicubi sit aliud in certo casu jure posteriore a cautum: sic etiam hoc omne negocium, quod vi aut metu majjore est extortum b: eodem censu, ut jurejurando stabiliri prorsus nequeat, numerandum.

a) de quibus infr. thesi, 75. 85. 86. b) clarissimus textus in Auth. Sacramenta puberum. C. si adv. vend.

Cum,

LIIIX. Cum, quia hoc ejusmodi negocium est, quod jure civili ne fiat graviter est interdictum: & si maxime factum sit: ratum haberi non debet *a*: tum etiam, quod hujusmodi juramenta, vi, vel metu, extorta, consensu præmeditati judicii, sine quo juramentum dari nequit, omnimodo sint *b* destituta: atque ideo, ne quidem de jure Cann. *c* observanda.

a) l. 1. l. simulier. 21. §. 1. quod met. caus. *b*) Consensui n. qui bonæ fidei iudicia sustinet, nihil tam est contrarium, quam vis atq; metus: qui cū adsunt, consensus esse nequit: quo sublato, iudicio locus est omnino nullus. l. nihil. 116. de reg. jur. l. 1. quod met. cau. *c*) quippe ab his juramentis, que servari præcipiuntur, diserte hoc est exceptum: quod est vi, vel non sponte præstitum: ut hinc pateat, id ipso Cann. jure nullum: cum alioquin esset servandum. c. cum contingat. 28. de jure jur. c. licet. eod. in 6. c. quamvis. 2. de pact. in 6. c. sicut si constiterit. 39. h. t.

LIX. Quamvis enim metu majore coactus voluntate utatur in eo, quod minus est malum, eligendo: non tamen hæc voluntas dici potest libera *a*: sed sub mali pæne omnium maximi, vitæ scilicet amittendæ periculo declinando sit coacta: ut & cogatur ad electionem, quam suspendere & dissimiliter agere *b* non potest, etiam si maximè vellet: & electio constringatur, non ad quod libet bonum, quod foret sibi pro arbitrio selectu jucundum: sed ad duo duntaxat mala, & ea quidem utrinq; sibi maxime invisa: quorum unum velle per naturam non potest: siquidem averfatur illa destructionem sui: alterum vero, pro vitæ periculo declinando, summo metu coactus, & invitus accipere habet necessesse: ut liberæ voluntatis vestigium, sive principium, sive progressum spectes electionis, hic adpareat omnino nullum. Nam quod hic Cann. fingunt: quoad exterius iudicium potius præsumendum esse jurandi animum, quam mortale peccatum: id ejusmodi est: ut *d* nec jure, divino, nec naturali, nec civili verum.

a) & sponte sua ad eligendum motu proprio deducta: ut illi, quæ justo metu, vel vi est extorta sit opposita: quæ in juramento voluntario libertas requiritur anth. Sacramenta. C. si advers. vend. *b*) hæc n. causa, quæ sic agit est illa, quæ dicitur voluntaria: teste D. Phil. in Dial. l. 4. t. de causa. Unde sequitur necessario: quod electionis hujusmodi actus cum suspendi, & dissimiliter institui nequeat, non sit voluntarius. ut non obstet id, quod adfertur ex l. similiter 21. §. si metus. D. quod metus ca. l. si patre. 22. de rit. nupt. & l. si metus. 85. de adqvir. hered. de voluntate coacta

coacta: quod sit voluntas. Primum enim non dicitur quod sit voluntas ex consensu libera: quam hic in materia conventionis requirimus: quod nec dici potest: cum velle non credatur, qui obsequitur imperio patris vel domini l. velle a. de R. I. Deinde non est haec voluntas tali metu, ad id, quod contra naturale desiderium est, de quo nobis hic sermo, controrta: sed vel reverentia patris, vel alterius indignatione, sub metu commodi cujuspiam alterius amittendi ad id, quod objectum alias per naturam jucundissimum est (nimirum nuptias contrahendas, vel hereditatem adeundam) leviter inducta. c) Covar. per c. verum de jurejur. & l. merito. pro soc. p. 1. §. 5. n. 6. d) Ex jure n. divino omnis homo mendax: & ita praesumitur in dubio peccatum. Jure naturali, talis praesumptio naturali adfectuum desiderio prorsus est contraria: quippe quo amamus nostra, & averfamur omnia, quae rei familiaris jacturam faciunt. Jure denique civilires est manifesta: quod animus consentiendi non sit, ubi vis & metus cogunt ad illud, quod natura facias invitus.

LX. Ut concludere etiam hic respectu objecti liceat generaliter: juramenta cujuscunque generis, quae vel super negotiis jure divino, naturali, aut civili, quia pietati, & bonis sive moribus, sive legibus adversentur, prohibitis, data: vel per violentiam, aut metum majjorem, extorta sunt: ipso jure nulla esse, minimeque si praestita sint, observanda.

a) Ergo hosti vel latroni pactum pro capite precium non est servandum? Quaestiones hic duae diversissimae, vulgo male confuse. Hosti, promissa facta, si legitima, fideliter servanda Cic. 3. offic. Cum latrone nec fides, esse debet, nec jusjurandum commune. Id. 3. off. Quod si hic quempiam ad servanda cogat promissa: id tunc est iniquitatis atrocissimae vinculum: bonis moribus, & Reip. perniciosum. Servat enim promissa facto sceleratissimo extorta: illi, qui male meritis publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate debet laborare: l. 31. Depos. defraudat se atque suos alimentis & bonis bene quaesitis, sine causa: in publicam perniciem confirmat latrocinia: dum latronem impium non tantum non defert: sed insuper suis bonis clanculum sustentat. Nimirum in hunc finem Nominis sui usum nobis concessit Deus: ut sit pessimorum facinorum asylum: Quasi hoc inquisissimum juramentum servando praestemus opus Deo gratum: vide c. quemadmodum. v. illud. h. c. inter cetera. 22. q. 4. c. pervenit. de jurej. Don. lib. 21. tom. c. 13.

LXI. Unde jam tandem intelligitur, quod vulgo ex D. Hierem. a per D. Hieronymum b prolatum, canonico juri est valde tritum: nimirum

nimirum omne juramentum, ut sit de jure validum, tribus esse
debere: *Judicio*, *veritate*, & *Iustitia*, comitibus sic stipatum: ut, si
ex his unus, vel plures defint: id protinus sit invalidum. *Judicio*:
si sit ex justa causa, *necessitate*, in defectu probationis postulante,
pro jure suo vel alterius ab eo, qui vim jurandi & negotii rite
discrevit ante, *prudenter* datum. *Veritate*: si jurans ex animi sen-
tentia & evidentibus argumentis id, quod perspicuis verbis ad-
severat, sine ulla falsi suspicione, certissime *verum* esse, vel *ratum*
fore credat. *Iustitia* deniq;: si *negotium* de quo juratur tale sit:
quod eo, quo juratur modo, tractatum, nec *pietatem*: nec *bonos*
mores lædat: nec *legum civilium* salutaribus constitutionibus quic-
quam detrahat.

a) c. 4. v. 2. b) c. & jurabunt. 22 q. 1. c. animadvertendum. 22. q. 2. c.
et si Christus. v. Jacob. h. t. c) Covarr. d. l. p. 1. §. 6. à n. 7. usq; ad 15.
Beust. rubr. de jurej. n. 5. 6.

LXII. Proinde, si his omnibus, quæ hæcenus dicta sunt, obser-
vatis, ita *legitimum* sit jusjurandum: id demum etiam sua natura
& bonum: & non tantum jure veteris: sed etiam novi Testamen-
ti Christianis *h* arbitramur omnimodo concessum: quippe opti-
mo bono introductum: & sub adorationis divinæ eximia specie
pro nota veræ Ecclesiæ, in casu necessitatis, & præceptum *c*: &
exemplis sanctorum in utroq; Codice plurimis *d* immo ipsius
Dei *e* non paucis stabilitum. *f*.

a) contra Cann: qui & hoc casu juramentum ex Thom. per se malum
esse: sed per accidens, supposita necessitate, bonum fieri putant. Covar. p. 1.
§. 6. n. 6. b) etiam Clericis, si quod necessitate flagitante sit ipsis à Laicis de-
latum: quamvis dissentiat jus Canonicum c. nullus ex pen. cum seq. 22. q. 5.
c. nullus. de jurejur. non obstantel. cum clericis. 25. C. de Episc. & cler.
Don. lib. com. 24. c. 13. n. 20. Borch. de jurejur. c. 4. n. 13. c) Esa. 19. V. 18.
& 46. V. 23. & 65. V. 15. Jerem. 12. 16. Deut. 5. V. 13. & 10. 20. Exod. 22.
8. 11. c. si peccatum. 22. q. 1. d) Abrahami, Isaci, Jacobi, Josephi, Moisis,
Josue, Davidis, Salomonis, Elia, Elisei, Jeremie, Petri, Pauli & c. e) Ps.
109. 4. & 131. V. 11. & passim apud omnes prophetas f) Ut igitur meri-
to reprehenduntur hominum pleriq; ad jurandum contemptu religionis ni-
mis faciles: sic etiam aliqui usq; ad superstitionem, metu divini numinis,
perquam timidi, non sunt laudandi. l. qui sub conditione. 8. in pr. de cond.
inst. *Qualis fuit Clinias Pythagoricus, qui damnum trium talentorum*
D *pati*

pati maluit: quam juramentum, quod verum fuisset prestare: referente
Tholos. synt. lib. 50. c. 3.

LXIII. Cui id, quod ex D. Matthæo *a* & Jacobo *b* solet opponi
non repugnat: quod prohibitio illa apud Matth. *c* Phariseorum,
ab usum jurandi duntaxat hunc, si per nomen Dei falso jurarent
(ut si vera adsertio, etiam sine ulla jurandi necessitate, juramento
stabilita: vel nomine Dei suppresso, in creaturas etiam falso jura-
tum esset: peccatum non putarent) adgnoscentium falsis opini-
onibus opposita, definitionem abusus juramenti sic extendat: ut
ad verè jurantes etiam, si temere & ex abundantia jurent, perti-
neat *d*: & non tantum per nomen Dei, sed etiam per res quasvis
alias, etiam extra superstitionis culpam, falso juramenta dantes *e*
redarguat.

a) c. 5. 34. cum seqq. *b*) c. 5. 12. *c*) cum quo convenit etiam Iacobi di-
ctum, eodem sensu & iisdem pene verbis conceptum. *d*) ita respondet etiã
D. Aug. c. non est: 22. q. 1. & c. ita ergo. cum seq. c. non est. ib. Innocent.
c. etsi Christus. de jurejur. *e*) c. in novo. cum seq. 22. q. 1. c. habemus. ib.
Covarr. p. 1. §. 6. a. n. 1. usq. ad 7.

LXIV. Extra quos casus juramenta utriusq; generis, Christia-
nis, non tantum publica, sed etiam privata; quovis tempore, quan-
do necessitas postulat, etiam diebus dominicis, *a* & quibuslibet
aliis ab Ecclesia feriatis *a*: non tantum jejuniis, sed etiam pransis,
vel cenatis, *b* dummodo fiant ex discreto iudicio, cum timore Dei
sunt *c* permissa.

a) Nam si jusjurandum per nomen Dei conceptum, adorationis est cul-
tus: diebus id. sacris res sacra maxime fuerit accommodum: sin divino
cultui invisum: ne quidem profestis diebus tractandum. *b*) cum iudici-
um intra naturalem desiderii modum pransis, æquè atq; jejuniis vel cenatis
possit esse sobrium. *c*) secus de jure Canonico: quod à septuag. usq; ad octa-
vam Paschæ ab adv. Dom. usq; in oct. Epiph. in jejuniis quatt. temp: Lita-
niis majjor: dieb. domin. & Rogationum juramentorum sollemniium usum
prohibet. c. decrevit. 22. q. 5. c. honestum. 22. q. 5.

LXV. Et hæc de juramenti cum definitione: tum quinque ejus-
dem, inter explanationem definitionis incidentibus, divisionibus
dicta sunt: sequitur jam divisio generalis sexta *a*: qua jusjuran-
dum à loci, in quo delatum datur, circumstantia est vel *judiciale*:
vel *extrajudiciale*. Quorum illud est in iudicio pro rei litigiosæ
commodiore notione jussu iudicis præstandum: Istud verò
extra

extra iudicii strepitum de re qualibet dubia à quovis rite delatum.

a) a pleriq; interpretib. vulgo ex l. 1. h. t. de promta. Beust. rubr. de jurej. n. 250.

LXVI. Et tandem septima & ea quidem ex usu interpretum longe tritissima: qua jusjurandum vel est promissorium: vel adfertorium a. Cum qua pene coincidit Octava: quæ illud juramentum fidelitatis: hoc veritatis vel credulitatis nuncupat.

a) quam post Chrysippum apud Stobæ. serm. 26. & gl. ad l. Lucius. in verbo debeant. de his qui not. infam. tradunt Bart. Spec. Panorm. Bolog. & pleriq; Dd. Beust. d. rubr. n. 31. Covar. p. 1. in pr. n. 4.

LXVII. Promissorium vel fidelitatis jusjurandum est, quod ad promissi, de futuro a facti confirmationem, & ejus ex bona fide servandi securitatem est adjectum: vulgo etiam juramentum Adsecurationis dictum: idq; in judiciale & extrajudiciale distinctum.

a) in quo sufficit animum tunc, cum juratur, ad servandum, quod de futuro promisit, promptum esse: ut casus ejusmodi, qui post ex superna dispensatione Dei incidens faciat irritum hoc justa ex causa promissum, subintelligatur exceptus per c. beatus. 22. q. 2. Atq; ideo semper in hujusmodi juramenti clausula (rebus sic stantibus, eo in statu permanentibus) videtur inclusa. l. si hominem mandat. l. quod servus. de cond. ca. dat. c. quemadmodum. 25. h. t. Ut etiam non referatur ad incognita. c. ad nostram. de jurej. Phil. Ethic. 286. Beust. rubr. n. 46.

LXVIII. Adjudiciale unum cautio juratoria a refertur: quæ est juramentum, super promissionibus in iudicio factis, à litigantibus quandoq; si vel ob illustrem dignitatem b non cogantur, vel ob inopiam c satisfacere nequeant, loco satisfactionis ne iudicia reddantur elusoria datum.

a) l. fin. qui satisd. cog. l. 1. §. 2. C. de adfert. toll. b) l. in sacris. 12. C. de prox. sacr. scrip. l. pen. ult. C. de dignit. l. unica C. ut om. jud. post. & c. c) l. 1. §. omnes. C. de adf. tol. nov. 52. & 112. Mins. obs. 11. cen. 2.

LXIX. Cuiusmodi sunt: à parte Actoris: de lite intra duos menses ab edito libello contestanda a: & ante exitum sententiæ usq; definitiva non deserenda: de expensis in casu causæ perditæ refundendis b: & de damno, si quod iudicium propter reum in carcerem, ad postulatum actoris, coniectum, c patiatur, resarciendo.

A parte Rei de cautione iudicatum solvi: & iudicio fisci d: de bonis actione

in actione reali non imminuendis e: de non vindicanda capture injuria f. Ab alterutris: de non offendendo g. A procuratoribus, sine mandato: de rem ratam habendo h. De quibus hic non est in specie dicendi locus.

a) nov. 96. c. i. auth. libellum. C. de lit. contest. b) auth. generaliter. C. de Ep. & cl. c) quod morib. nostris introductum. Schneid. Inst. de Satisd. d) l. si quis. 56. §. ult. de fidejuf. §. 2. Inst. de satisd. e) l. senatus consulto. 16. de off. pres. l. si fidejussor. 7. §. ult. cod. f) Moribus introducta: Dyrhede. de qua Speck. h. cen. 2. q. 15. Quo spectat. l. fin. §. fin. C. de his qui ad Eccl. conf. g) Dd. ad l. de pupillo. 5. §. si quis. de op. nov. nunc. h) l. ne satisdatio. 21. §. rem ratam haberi.

LXX. Extrajudicialium tria sunt vulgo genera à Dd. a constituta: promissorium fidelitatis: introductorium obligationis: & confirmatorium contractus. Fidelitatis b in specie, juramentum est; quod superiori exigenti inferior, ad fidelem operam illi, certis in causis, navandam, pro collato in se beneficio, de lege, more, vel pactione, dare, habet necesse. Quorum multa ex auctoritate deferuntur publica: quaedam etiam privata.

a) Coras. in prelud. ad l. admonendi. h. t. n. 8. quem sequitur Vesenb. in par. h. n. 5. b) Cujus exemplum ponitur in c. tibi domino. dist. 63. & clem. Romani de jurejur. quo Imperatorem sibi obligare presumit Pontifex. de quo Albericus. quod Deus sciat: an hoc juste exigatur. Cor. in prelud. ad d. l. n. 10.

LXXI. Ex illis est, juramentum quod in specie homagium a dicitur: quo subditus suo magistratui se, ad obedientiam, fidem, & opem, pro tuendis Reip. commodis, illi præstandam, obstringit. Quale civis suo principi, vel senatui: Scholaris Rectori: miles Imperatori: in collegium aliquod licitum cooptandus, toti collegio, vel ipsius Præsidi dare solet &c. Cui ad finem est illud, quod Magistratus, in auspicio gubernationis suscipiendæ, Reip. suæ, pro ipsius commodis promovendis, privilegiis conservandis, singulis in tutelam suam, cum juris æquabili administratione, recipiendis, ex pacto, dare consuevit. Cujus generis etiam est: quod publicis præficiendi muneribus, plerumq; pro fideli administratione præstant. Ut sunt: Judices, Advocati b, Notarii c: Academicis honorum gradibus ornandi: tutores, Curatores d, Administratores Reip. munerum e.

a) Huldigung. Quod cum obedientiam à subditis sic flagitet: ut pareant

reant legibus: nisi poena se subjectos malint: hinc patet: subditum delinquentem, si modo poena se subjiciat, perjurum non esse: cum juramenti sensus conditionalis negotii qualitati sit accommodandus. D. Phil. Ethic. 289. b) l. rem non novam. C. de jud. Ord. Cam. par. 1. à cap. 57. usq; ad cap. 84. c) l. pen. C. de fundo instr. d) n. 72. de creationib. C. de episc. & Cleri. e) nov. 9. c. in die. de stat. & consv. contr. lib. Eccl.

LXXII. Ex his vero præ reliquis est insigne, quod in specie Fidelitas a appellatur: juramentum à Vasallo, Domino feudi in auspicio investituræ pro ipsius vita, fama, & bonis, ope consiliisq; juvandis, & ab omnibus injuriis pro virili protegendis, præstandum. Quo spectant quævis alia, quæ privatus quivis à suis, sibi servandæ fidei ratione obstrictis, in rebus momenti majjoris exigere non est prohibitus administrandis b.

a) Lebenspflicht: c. un. §. su. de nov. for. fid. c. de forma. 22. q. 5. cujus explanatio prolixior traditur à Borch. de feud. c. 7. n. 39. usq; ad 45. Beust. de jurejur. pag. 54. b) Quale Abrahamum à suo servo seniore in nuptiis filio Isaco contrahendis exegisse legimus Gen. 24.

LXXIII. Quæ omnia fidelitatis juramenta ut ex parte quidem jurantis sunt personalia, ut personam solius ipsius obligent: sic ex parte deferentis sunt in heredes transitoria: ut non modo illi soli: sed & ipsius in ea re successoribus, a sint jurata.

a) Unde fit ut defuncti Vasalli filius heres denuo præstare debeat domino feudi juramentum: cui id à patre paullo ante erat præstitum: etiamsi ille suo & successorum nomine se nominatim juramento obligatum voluisset. Cum tamen secus sit in domino feudi mortuo: cui semel si præstitum à Vasallo juramentum: id successori non est ab eodem denuo præstandum. Quod etiam in Magistratu locum habet: ut si cui publico nomine semel à subdito datum sit juramentum: id omnibus ipsius in isto officio successoribus datum subintelligatur: etiamsi nulla successorum & nequidem dignitatis sit forte mentio facta. c. veritatis. h. t. Covarr. p. 1. §. 5. a. n. 7. usq; ad 17.

LXXIV. Obligationis hic juramentum est, quod simplici de dando vel faciendo aliquid promissioni, per se non efficaci, adjectum, promittentem vi juramenti firmiter obligat ad promissis satisfaciendum. Cujusmodi est illud a: quo libertus patrono libertatis causa jurat: se operas, donum, munus ipsi pro libertatis datæ beneficio præstaturum.

D 3 a) l. ut

a) *l. ut jurisjurandi. 7. in pr. & §. 2. cum l. seq. l. & per. 13. in pr. de accept. l. certum. 6. §. si quis. de conf.*

LXXV. Quod ut in caussa libertatis, favore digna, quo melius patronis de jure suo in libertos, pro tanto in ipsos collato beneficio, cautum esset, huic jurijurando, ut ex illo libertus obligaretur, ex interventu Prætoris datum fuit: ita in hac illud caussa substitit: ut alio, quam hoc modo, ex jure jurando cuiquam obligatio competere nulla possit *a*. Cum quod jurisjurandi obligationem lex diserte ad *libertum*, & *caussa libertatis* jurantem ita restrinxerit: ut, non libertus, jurando operas ejusmodi nihil agat: tum quod inter caussas, quibus pacta nuda firmantur, vel quibus ad nudam conventionem accedentibus obligatio alias contrahitur, jusjurandum nulla lege sit relatam.

a) *ut communis habet Bart. & Dd. sententia ad l. si quis pro eo. de fidejuss. teste Costalio ad l. i. h. t.*

LXXVI. Ex pactis igitur *jurisgentium*, vel *nudis* ut actio non nascatur, cum jure civili sapientissime sit cautum: ne, si propter quasvis, ex levitate vel ostentatione, pro tempore profusas, promissiones (ad quas hominum natura pro vanitate, & fastu innato proclivis est) quivis obligaretur, fora litibus undiq; perstreperent: & rei familiaris, ex quibuslibet non ab animi judicio profectis promissionibus implendis, jacturam plurimi facerent *a*: profecto non erit in privati positum arbitrio: ut sub pactione jurisjurandi *b* in fraudem æquissimæ legis: sibi vel actionem, vel retentionem, ex illo compareret, contra invitum, negotio: cui publicæ privatæq; utilitatis caussa jus civile illam obligationis efficaciam justissime *c* denegavit.

a) *l. jurisgentium. 7. §. 4. cum sequenti. 2. de pactis. l. legem. 10. C. eodem. l. ult. C. de rer. permut. l. si tibi. l. divisionis. C. locat. ut pluribus confirmat Donell. ad d. l. legem. C. de pact. a. n. 15. usq; ad fin. l. sciendum. §. eo autem. de edil. edict. Covarr. de pact part. 2. §. 4. n. 21.*

b) *Quo firmari nudum pactum contendunt Canonista, etiamsi illud causam conventionis nullam habeat. Covarr. §. 4. n. 2. 6. c) Don. lib. com. 24. c. 9. Diff. Vesenb. in par. D. h. Posse quempiam æque jurejurando promittere, atq; nudis verbis, non negatur: verum ecquid ejusmodi promissio jure probetur, ut inde oriatur obligatio: id vero controvertitur.*

LXXVII, Cum quod contra leges, constitutionesq; facta nullam vim habeant *a*: & privatorum pactionibus publicum jus minime sub-

me subverti debeat: tum quod jusjurandum alii negotio semper adhibeatur confirmando: quod si per se causam non habeat idoneam & æquam cur sit servandum: non utiq; jusjurandum, quod *vinculum iniquitatis esse non debet*, contra æquitatem, tam publicam, quam privatam subvertendam, pro iniquitate obtinenda, in subsidium accersi debet: quod supra pluribus discussum.

LXXIIX. Sit sane apud Canonistas aliud receptum: neq; id mirum: qui ex quovis etiam nudo a sibi cudunt obligationem pacto: verum seposita Cann. b auctoritate, quæ nos hoc loco, sive jurisdictionem spectemus Ecclesiasticam, sive Politicam, necessario non obligat, videamus: anne hoc non modo in civilis, quod jam probatum: sed etiam divini juris præjudicium sit inductum.

a) *quamvis illud ex c. 1. de pact. quod ad hoc obtinendum indices allegatur, directo probari nequeat.* b) *Qui honestas Imperatorum, veri & ordinarii Magistratus à Deo constituti leges abolere non possunt: cum si maxime summum horum auctoribus in alieno foro quis imperium tribuere vellet: attamen ne tum quidem illis abrogandi ll. Imperij facultas esset: cum par in parem potestas sit nulla. l. nam magistratus. de recept. arbitr. Quod post Paul. de Castro, Lucas de Pen. pluribus in l. mulier. C. de incol. lib. 10. decidit.*

LXXIX. Quippe dubium non est, quin juramenti prohibitio à Filio Dei, ad explanandum decalogi, de nomine divino temere non usurpando, præceptum, promulgata sit de juramentis, vel sine deliberato judicio *incaute*: vel nulla flagitante necessitate *temere* profusis accipienda: utpote quæ homine pio sint indigna: & nomen Domini in vanum adsumant. Talia autem esse, hæc juramenta omnia, quæ in communi usu, nudis ejusmodi promissionum temere factarum pactis, ex consuetudine quadam prava, tam *incaute*, quam *nulla causa flagitante* subjici vulgo solent:

XXC. Cum à rerum cottidiana probatur experiëntia: quam leviter homines, ad promittendum vulgo prorumpant: & eodem momento ad jurandum, ut sæpe se jurare, non animadvertant, devertant: tum ab eo: quod sint jure civili probatæ stipulationes, literarum obligationes, & varia contractuum genera: modi ad inducendam quamvis obligationem sufficientes & validissimi a: quibus ad conventionem nudam accedentibus promissiones nude factæ stabiliri facilimo negotio queant: ut ad hoc quod

quod ultimum & sacrosanctum debet esse fidei humanæ laborantis, in omnium probationum aliarum inopia, aſylum tam in-
confulto, & ſine ulla neceſſitatis ſpecie non fit a prouendum.

a) Quibus in privatis uti commerciis quamdiu licet: tamdiu ad hoc
extremum neceſſitatis humane ſubſidium aditus, de jure divino nobis
omnis eſt omnino precluſus: per graviffimam Filii Dei legem: Matth. 5.
34. 37. Jac. 5. v. 12. Sermo veſter ſit eſt, eſt: non, non: quod ſit per ſti-
pulationes, & alios obligationum modos jure civili probatos. Quod enim
hic abundantius eſt, h, eſt juramenti in ſermone utamur, ubi neceſſe
non erat: id a malo eſt: & cum nominis divini leſione conjunctum.

XIXC. Ut hinc pateat conſtitutiones illas juris civilis, quæ uſum
deliberatõ jurandi parciffimum, & ultimum fere litium dunta-
xat expediendarum remedium, omnibus probationibus aliis deſicientibus
a conſeſſerunt, in reb legitimis, legi divinæ valde conſentaneas
eſſe: Canonum vero interpretes pleniffimum quibuſcunq; jura-
mentis, nulla neceſſitate poſtulante, & ſæpè temere, in commu-
ni ſermone vulgi, profuſis, robur adjicientes ab eadem videri
longius abeſſe. In tantum ut Dd. b communiter juramento vim
inducende obligationis hujusmodi denegantes non tantum non
impie c: ſed cum ad civile jus æquiſſime tum maxime ad Decalo-
gum, & legem Filii Dei admodum pie d docuerint.

a) l. tutor. 35. h. t. b) Innocentius in c. cum veniſſent. de inſtit. Jaſon.
in l. juſjurandum, quod ex conventionem. h. t. quam communem dicit Coras.
in l. admonendi h. t. n. 17. Bartol. in l. ſi qui pro eo. de fidejuſſ. c) ut placet
Veſenbecio in par. D. hic n. 5. quamvis uſum illius, ut & confirmatõnis con-
tractus paullo poſt ibid. gravib. argumentis adductus intermiſſum velit.
Covar. p. 1. ſ. 2. n. 5. uſq; ad fin. d) Molin. ad Alex. Bodin. de Rep. pag.
135. Quod utriuſq; dogmatis fructus inter ſe collati faciunt evidentius.
Nam juris civilis gnarus, nihil operari, niſi in certis, & his quidem nu-
mero pauciſſimis caſibus, juramenta promiſſoria dum novit: hanc inde ſi-
bi captabit occaſionem: ut nec ipſe juramenti temere jaçtandis adſveſcat:
nec aliis temere jurandi (quod etiam ipſum ponitur in non levi peccato)
cauſſam prebeat: Contra de juramenti viribus illis immenſis ex opinione
aliorum edoçtus: quod illa confirmandis reb quibuſlibet ſint idonea: la-
tiſſimam ad temeritatem jurandi quodlibet, & juramenta deſerendi
cuilibet fenestram ſibi aperiet.

XIIXC. Deniq; juramentum a contractus confirmatorium eſt: quod
conventioni per ſe valenti adjectum, vim illius, quæ alias à natu-
ra tanta

ra tanta non inerat, ad obligandum fortiolem reddit. Quod in transactione: & in contractibus minorum locum habet.

a) Donel. com. l. 24. c. 9.

XVIII. Jusjurandum Transactionis est, quo majior, se nihil ad- versus transactionem facturum, ita juratus transigit: ut vi præsti- ti juramenti, si actionem resuscitando, vel non implendo pro- missa contraveniat, non modo transactis stare cogatur rebus: quod alias sine juramento fieri debebat: sed etiam insuper infamia notatus, & omni actione, cum commodis, sive perceptis, si- ve percipiendis exinde promanantibus privatus, pœnam, si con- tra faceret, pactis insertam exsolvere a cogatur.

a) l. si quis majior. 41. C. de transact. ubi Donell. per tot.

XVIC. Juramentum Minorum est quo minor, vel se majiorem, quo secum facilius contraheretur, juramento adserens; a vel con- ventioni licite statutum jurato b promittens sic obligatur: ut etiã propterea beneficium restitutionis in integrum sibi denegetur.

a) l. 3. C. si min. se majior. dix. b) auth. Sacramenta puerum. C. si adversus vendit. Donel. lib. com. 21. c. 13.

XVC. In quib. duobus casibus cum hoc juramentũ, contra teno- rem communis juris, singulariter operatur aliquid amplius, si sit adjectum: hinc animadverti debet: aliis quibuslibet conventio- nibus jure probatis a id additum nihil amplius operari: quam quod in ipsa conventionis illius natura alias comprehensum, et- iam sine juramento veniret præstandum.

a) Quæ enim conventiones jure prohibite sunt: ne quidem Sacramento fulciri queunt: ut ante dictum. Pactum igitur filie pro dote accepta he- reditati paternæ renunciandi, jure civili merito improbat: etiam si sa- cramento vallatum prodeat. Quia nimirum pietati paternæ non conve- nit: & modum adimendi hereditatem juri publico incognitum inducit: & insuper necessario sacramentum non requirit: cum pater si velit ultra legitimam filie nihil relictum, ultimæ voluntatis quodam elogio hoc ex- pedire possit. Donel. ad l. fin. C. de pact. n. 10. 11. Siquidem volunt, quod alias, si minus legitima acceperit, vel ultra dimidium lesa sit, juramento contradicere possit. Covar. p. 3. §. 4. n. 11. cum seq. Idem de juramento mu- lierum in dot alium rerum alienatione statuendum: quia publicæ utilitati perniciosum: contra c. cum contingat 28. h. t. & c. licet. eod. in 6. Quas constitutiones, utpote dotib. perdendis & litib. alendis latas Covarr. optat & judicium eliminatas esse. p. 2. §. 1. n. 18. 19.

E

Quamvis

XIVC. Quamvis autem jure civili nusquam, quo minus id omnis generis contractibus licitis adicere liceat, prohibitum extet: attamen, quia nihil operando, plane supervacuum redditur: ne adiciatur: præter jus Canonicum obstat etiam graviter Divinum: quando illud nulla, nisi in casu *necessitatis importune* juramenta permittit: hoc vero ab omnibus *omnino a*, quotiescunque per *etiam & non* expediri negotium nostrum potest, abstinendum præcipit.

a) Adeo ut homo Christianus salva conscientia, & sine lesione præcepti divini, tale juramentum, quod contractui adjectum nihil amplius operari potest, quam alias erat nature ipsius inclusum, nunquam in rebus privatis (ut publica fœdera excipiantur) præstare queat.

XIIIC. Missis igitur illis, ut ad effectum juramenti, promissorii tandem disputatio devertat: servandum id omne firmiter & inviolabiliter credimus: quicquid est jurejurando, ex *justa causa* adhibito, in legitimo negotio promissum a: nisi à deferente, cujus utilitatem respicit, fuerit remissum b. Ut contra dignum observatum non sit: negotio ejusmodi adjectum: quod est vel incaute datum: vel errore, aut dolo inductum: vel vi aut metu extortum: vel quoad observantiam aut impossibile: aut pietati, & bonis cum moribus, tum legibus adversum c.

a) Quod *ita* juratum est, ut mens conciperet fieri oportere: id observandum est: & quod adfirmate, quasi Deo teste promiseris, id tenendum: quod nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores artius & sanctius esse voluerint. Cic. 3. off. b) ut gratia sit jurijurando facta: l. remittit. 6. h. t. c. præterea. de spons. c) ut locum his obtineat illud Isidori: in malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incaute vovisti, ne facias. Impia n. promissio quæ scelere adimpletur. c. in malis. 22. q. 4. Folerabilius quippe est stultæ promissionis vota rejicere: quam per inutilium promissorum custodiam, exhorrendam criminum implere mensuram. c. si publicis. ibid. Et magna sapientia revocare hominem, quod est locutus male. c. magne. 22. q. 4. quia Stulta vota sunt frangenda. c. non pejerabis. ibid.

XIIC. Quod enim hujusmodi morbo quopiam laborat juramentum: in hac est causa: ut sit ipso jure nullum: utpote suo principali, cui debebat accessorium insistere, destitutum. Quod si ita est: tum sine perfidiæ vel perjurii nota id negligendum. Nam fides ubi vere data non est: & ubi jusjurandum revera non substitit,

substitit, quod esset jure validum: quænam est hic perfidia & quodnam dabitur perjurium?

XIC. Sane peccato gravi ut plurimum, qui tali negotio accommodavit jusjurandum, propter temerarium abusum nominis divini, & vanitatem promittendi, non possumus illum dicere non obnoxium: at quod imprudentiæ, temeritati, timiditati, vel malitiæ quandoq; in *juramento dando*: non autem perjurio, in *dato non observando*, adscribendum fuerit.

XC. Cum juramentorum hujusmodi observatio neglecta tantum absit à peccato: ut, si non negligatur, sed attendatur observatio: hæc adimpleta, sit cum peccato non levi, & eo quidem gemino plerumq; conjuncta a: cum quod temeritatis, vel malitiæ culpam in juramento temere, vel rebus illicitis dato, contractam, in eodem per promissorum præstationem observando, alia sæpe nova contaminet: tum quod prior admissa sub prætextu, erroris, ignorantie, doli, vis, vel metus excusando quandoq; levior reddi, & agendo pœnitentiam corrigi: posterior vero in proposito male suscepto persistens contumaciæ insuper argui non raro possit b.

a) d. c. si publicis. cum seq. quinq; & c. actione. 22. q. 4. Tolerabilius enim est, promissum non facere: quam facere quod turpe sit: nec sacramenti contemplatione debet turpe vel malum incaute promissum servari c. unusquisq; 22. q. 4. c. non est. ibid. b) Incauta igitur juramenta laudabiliter solvenda: quod non est pravaricatio, sed temeritatis emendatio. c. diffinitio. 22. q. 4. c. si quis. ib. Quod enim hic vulgo ferunt: posse quempiam peccare jurando: qui tamen non peccet juratum observando: Covar. p. 2. in pr. n. 15. ex hom: contradictione se ipsum refutat manifesta: Nam si promissio mala: quomodo bona illius adimpletio. Non obstant Decalogi & divina de servandis juramentis Oracula. Exod. 20. 7. Matth. 5. 33. Psal. 15. 4. Quippe de legitime præstitis juramentis accipienda. Nam quæ ratione prohibet Decalogus temeraria & illicita ne præstentur: eadem averfatur illa temere præstita, ne porro, quæ mala sunt, observentur. Factionem prohibens, multo magis consummationem, & in malo commisso perseverentiam odit. Nec movet illud, de juramēto, si fieri sine dispendio salutis possit, observando: c. si vero. c. cum contingat. 28. h. t. Nam generaliter de peccato si capiatur, quod est dispendium salutis, verum adgnosimus. At sic juramentorum observatio peccato obnoxia illorum, quæ sunt lege prohibente facta: cum peccatum sit gravissimum ordinationi divine resistere. Rom. 13. 2. Sin peccatum duntaxat intelligent Canonicum vel morale: re-

gula ipsismet testib. est falsa. Nolunt enim servari, vel saltē concedunt illa non servari juramenta: quæ sunt pro contractu usurario, metu extorta, l. commissaria, prodigi, renunciationis casus fortuiti, except. non num. pec. cessionis bonorum, Macedoniani, rescindende venditionis in enormi læsione, non revocandi testamentum, matrimonii contrahendi &c. prestita: quæ tamen omnia sine dispendio salutis Canonico servari potuerant. Covar. ad c. quamvis. p. 1. §. 3. n. 31. p. 2. in pr. n. 8. 9. 10. 11. 16. 29. §. 3. n. 1. 3. 5. 6. 7. 8. 11. 20. p. 3. §. 4. n. 2. 8. Beust. ad l. 1. h. n. 252. Seb. Med. de cas. fort. p. 112. n. 10. p. 224. n. 19.

XCI. Adeo ut vel Conditionis vel Absolutionis a remedium hic excogitatum, sit prorsus supervacuum. Nam quod ad prius: si licebit vi religionis solum in casibus illicitis repetere, quia ob injustam causam fuit datum: cur non multo satius est non solvere: quia causa solvendi injusta. Ad posterius: si juramenti vinculum est validum: Absolutio sine læsione præcepti divini non habet locum, quia juramentum efficit elusorium: & alteri avfert suum. Sin invalidum: quid hic solvendum, ubi vinculum est nullum.

a) Quæ statuunt juramentum esse quidem servandum: sed ita: ut liceat Absolutionem vel Dispensationem ab observantia illius impetrare; quam adeptus ante diem solutionis, solvere nil cogatur: post solutionem vero, repetere queat quod est solutum c. si vero c. debitores h. t. Covar. passim d. lo. Tholos. lib. 50. c. 12. Lusus certè circa rei sacrosanctæ Religionem plus quam puerilis: b) Juramenta enim si licita sunt Deo reddenda: non per Absolutionem enervanda. Matth. 5. 33. Sin illicita, Deo quesitum nihil: coram quo est abominabile, quicquid est illicitum; & ordinationi suæ scilicet honestis legibus adversum: ut hic & fictitium sit de obligatione quesita Deo, quæ per absolutionem veniat solvenda commentum: & impium, quia Deum velle, ut Latroni solvatur scelestissimo facto extortum, usurario abominabili questu peritum, præsupponit. c) Relaxatio enim, quam in dubio, non Clericus, (ad quem juramentorum causæ, utpote mere politicæ, contra quam putant illi per c. ult. de for. comp. in 6. quod tamen teste Cor. in regno Hisp. est explosum, non spectant) sed superior potestas interponit: non est absolutio a juramenti vinculo: sed vel nullitatis in juramento iniquo declaratio: vel quoad effectum agendi, ad iniquitatem demonstrandam, alicui concessa ex certa causa remissio. l. fin. ad Mur. l. fin. qui satisfacere. l. fin. de re mil. l. adigere. §. ult. de jur. patr. l. quæ sub. de concl. inst. Mins. c. 3. obs. 99. Ord. Cam. Imp. p. 2. t. 24. Mins. c. 2. obs. 57. Speckh. c. 2. cl. 2. q. 15.

Atq;

XCII. Atq; hæc de juramento *Promissorio* huc usq;: *Adsertorium* a est, jusjurandum, ad dicti alicujus, de re præterita vel præsentè adserti, veritatem magis credibilem relatum.

a) Cujus cum doctrina sit multo proluxior illo, quod attinet ad jus civile, per varias species diffusa: ut hujus singulis non sufficiat conditio temporis seorsim explanandis: summa tantum specierum, quod ad amplitudinem materiæ suffecerit coniectandam, capita, libet appendicis vice delibasse.

XCIII. Quod legitime cum interponitur: controversiæ alicujus vel rite constituendæ: vel plane decidendæ a gratia certis in casibus est comparatum. Prioris generis sunt juramenta, jussu judicis ab his, qui pro causæ in judicio controversiæ constitutione dicunt aliquid, hoc tantum fine, ut à falsis, vel incertis dolose comminiscendis abstineant, præstanda. Cujusmodi sunt juramenta *Caluminiæ* & *Testimonii*.

a) Donel. lib. com. 24. c. 10.

XCIV. *Caluminiæ*, quod est in initio susceptæ litis, & nonnumquam in ejus aliquousque progressæ quadam parte, de his quæ pro juris cujusq; defensione proferuntur, citra calumniam, & ex bona fide proferendis, à litigatoribus & ipsorum patronis utrinq; a præstandum.

VC. *Testimonii* b est, quod à testibus, ad testimonium de facti quæstione dubia, ex incorrupto judicio, sincere, quantum sibi constiterit, pro eruenda veritate dicendum arcessitis, priusquam illud proferant, exigitur.

a) l. 2. C. de iuram. pr. cal. dan. l. rem. §. patroni. C. de iud. l. iusiurandum §. qui 4. l. si non 37. h. t. Beust. rubr. h. t. n. 172. b) l. iusiurand. l. testium C. de testib. c. licet. eod. Beust. d. lo. n. 205.

IVC. Posterioris sunt juramenta, controversiæ inter litigantes decidendæ causæ, ab alterutra parte sic præstita: ut, quod ita jurejurando adsertum fuerit, id lite diremta habeatur hætenus pro re iudicata. Quod vicissim duplex: aut *soliis litis determinandæ* gratia datum: aut simul ob delictum *rei coercendum* concessum a. Prius aut *Voluntarium*, aut *Necessarium*.

a) Donel. d. loco.

IIIC. *Voluntarium* est, quod ex certa conditione à litigantium parte una sponte sic alteri defertur: ut, quod inde juratum fuerit, sine ulla post modum querela a sit res iudicata,

a) l. admonendi. in fin. h. t. l. 1. C. eod. l. generaliter. §. sed juramento. C. eod.

IIIC. Quod vel mere voluntarium est: vel quodammodo. Quorum illud in specie, voluntarium dicitur: hoc in specie, iudiciale. Voluntarium in specie est iusjurandum, à parte parti extra iudicium a sic delatum, ut, si ex ea delatione sit id sponte vel præstitum, vel ad præstandum prompto remissum: pro controversiæ definitione sit hoc habendum. Iudiciale est, quod iudicio jam instituto à parte parti, sub auctoritate iudicis comprobantis, sic defertur: ut hæc illud præstare debeat: vel si nolit, parti deferenti, b ut præstet ipsamet, idem referre.

a) l. iusjurandum. 17. in pr. h. l. in duob. 28. §. pen. eod. l. 6. l. 5. §. ult. l. nam postea. §. 1. h. l. 1. l. auctori. C. h. b) l. 3. in pr. hic. l. generaliter. §. sed juramento. C. h. t. l. iusjurandum. 34. h. t. si neutrum velit, pro convicto habendus reus solvere cogatur. l. iusjurandum. 34. §. 6. & §. fin. h. t. manifesta turpitudinis est hoc & confessionis: nolle nec jurare, nec juramentum referre. l. manifesta. 38. h. Beust. rubr. n. 72. cum seqq.

IIIC. Necessarium est, quod post cœptum iudicium, in causa, propter inopiam aliarum probationum, dubia, à iudice, præcedente cognitione parti litigantium uni necessario præstandum defertur. Idq. vel necessarium in specie dictum: vel Purgatorium. Necessarium in specie dictum iusjurandum est, in probationis utrinq; dubiæ supplementum a, a iudice, in civili negotio alterutri parti delatum.

a) c. 10. c. ult. de iurejur. c. fin. v. fin. h. t. l. 3. C. h. t. l. admonendi. 31. eod. Donell. d. l. com. de iurejur. c. 10. Unde vulgo vocatur suppletorium. Beust. rubr. n. 81.

IC. Purgatorium a est, quod reo, ab auctore quidem plene non convicto, sed tamen urgentibus suspicionibus prægravato, sui purgandi, & bonæ fidei, quam præten dit tuendæ gratia, quandoq; a iudice defertur.

a) Quod jure civili in casibus admodum paucis & his quidem civilibus locū habet: l. presenti. 6. §. sed si hoc. v. sicubi. C. de his qui ad Eccl. conf. auth. novo iure. C. de pœn. iud. qui mal. iud. l. ult. §. fin. v. creditor. v. fin. autem dubitatio. C. de iur. dom. imp. l. ult. in pr. v. quod si affirmat. C. de fid. instrum. §. ut autem. 3. nov. ut hi qui obl. se hab. 72. C. tot. tit. de purgation. vulg. & Can. Beust. rubr. n. 195. Donel. lib. 24. com. de iurejur. c. 2.

Posterius

C. *Posterius ad delictum rei coercendum spectans dicitur, iustitiam in litem, quod auctori ad æstimationem ejus, quod propter culpam vel dolum Rei sibi abesse præterdit, vel prout interest, vel quanti arbitratus fuerit, firmandam à iudice deferri solet. tit. D. & C. de in lit. iur. Beust. rubr. n. 141.*




DN. M. HENNINGO RENNEMANO
feliciter.

*S*itibi gratarer nova Nomina; non nova res sit:
Nam Vates poterunt non nisi velle bene.
Et nova nec res est; nec sunt nova Nomina; si te
Doctior hoc ipso es, DOCTOR ut esse queas.
Hoc saltim grator, quod jam tua publica fiunt;
Quæ studia officiis priva fuere suis.
Caspar Bonifacius Vinariensis P. C.

Eidem

*N*unc RENMANE tibi non est absq; omine nomen,
Admissis calcar quando vir addis equis.
Et, ceu Pegaseo vesteris in aëre dorso,
Longo OPICOS properas ante volare rudes.
Exspectas nostro fias ut alacrior ore?
Non ita, non nostris plausibus heicopus est.
Meta propinqua tibi est, fecit te Laurus alacrem,
Quæ tibi visa oculis, quæ capienda manu.
Ecce tuos, magno nomen conforme Maroni
Qui præfert, nilus comprobat ecce tuos.
Quin tua cum vidit JURAMINA Diva bilancis
Arbitra, juratis hæc dedit ipsa sonis:
Tu mihi sis testis, quæ lambis tertia regna!
Si cuiquam, HENNINGO debeo multa meo.
E. Justus Zinzerling Thur. LL. St. & P. C.

Eidem



Eidem.

NÆ rectè nimis, & nimis venustè
Negisti, Sophies per ambulacra
Quod vernantibus eruditus annis,
Ad culmen penetraveris Themistis,
Multos condecoravit ante Soles
Capillos, Sophie tuos tiarà,
Insigni, violaceâ tiarâ.
Ceu fecit Sophie, Themis negemus
Facturam? dubitemus hanc daturam
Capillis etiam tuis tiaram,
Insignem magis, & *rubram* tiaram?
Si quisquam dubitarit, aut negarit,
Hunc sanæ dubitabo mentis esse,
Imò: bile tumens amariore
Hunc sanæ negitabo mentis esse.


*Theod. Sitzman
Thuringus. P. C.*

F I N I S,

X2617642

1017







1603.3
4

SIUM
MENTIS
re; & de
SSORIO
& Canonico jure,
tarum,
URIA:
am
OPT. MAX. 15
PICE,
NSIS Academiae, JURIS-
RUM Ordine
NENTE,
q. Amplisf. Viro
PINGITZERO
illimo, & Dicasterii DD. SAX.
atus ibid. ADSESSORE
o studiosè colendo,
SIDE,
Æ in VTROq. JURE
egvendi Licentia,
oponit adserendam
RENNEMANUS
XO BRUNSVIGIUS
risconsultorum:
hora VI. matutina:
Æ SAL. CID ID CIII.
istophori Lippoldi.

10

